# MEMORABILIA
# SOCIETATIS IESU

VOLUMEN VII

FASCICULUS II — 30 IUNII 1939

AD USUM NOSTRORUM TANTUM



APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

1939

Vol. VII. — Fasc. II. 30 Iun. 1939.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

*Ad usum Nostrorum tantum*

# COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

## Labor Societatis pro Iuvenibus Universitariis et Studia Technica colentibus

**Quanti referat Universitariorum animis opem ferre.** — Litteris die 21 nov. 1932 ad omnes Provinciarum Praepositos datis, commendavit Pater Noster ut « Universitariorum peculiarem curam ut complementum quoddam necessarium haberemus laboris in nostris Collegiis suscepti . . . Optime, aiebat, se novisse in quibusdam Provinciis id iam praestari atque alicubi maximos inde fructus colligi coeptos esse: paulatim enim centra illa ad iuvenilia ingenia tam bene accommodata, non modo iuvenes catholicam fidem aperte profitentes, sed etiam alios a religione aberrantes atque a Deo alienos allicere . . . qui vix non semper ad Deum sincere revertuntur . . . Copiosae relationes de illis operibus exquirendas . . . et identidem etiam huc ad Redactorem « *Memorabilium* » mittendas esse, cum valde utile futurum sit ut omnes Nostri hos labores, qui inter praecipua Societatis opera sint habendi, et bene noscant et pro eorum momento tempestive aestimare incipiant » (A. R., VII, 194-197). — Aliquas eiusmodi relationes, hic a Patre Nostro commendatas, quaerere et conficere in hoc fasciculo conati sumus, quae facile poterunt uberiores utilioresque fieri, si optimi nostri Relatores nos data occasione iuvare voluerint.

**Multiplici modo consulit Societas iuvenibus universitariis:** — a) *Superiora collegia condit*, saepe cum adiunctis diversoriis, in quibus iuvenes vitam degunt et studia superiora conficiunt. Talia sunt in Gallia Andegavi, Insulae et Tolosae; in Belgio Ant-

werpiae, Bruxellis, Namurci et Leodii; in America septemtrionali passim (Mem. VI, 81-95); in Colombia, in Sina, in Iaponia, in India, Beryti, Manilae. — b) *Suos Professores Universitatibus externis suppeditat*, sive publicis, ut in Bohemia, Hibernia, Hungaria; sive privatis, ut in Gallia, Neerlandia, Italia, etc. — c) *Diversoria constituit prope Universitates publicas*, iuvenum progressum iuvandi causa, tum in vita spirituali, tum in studiis. — d) *Domus aperit familiares aut sociales pro studentibus* (Foyer, Focolare, Heim), ubi certis temporibus studere, pietatem colere, apostolatum exercere, vires animi et corporis reficere possint. — e) *Congregationibus Marianis aut Consociationibus iuvenum per professiones distributorum* (candidatorum iuris, ingeniariae, medicinae, etc.) in eorum formationem spiritualem et scientificam incumbit.

Cum de prima et ultima apostolatus forma iam aliquando verba fecerimus, de tribus aliis pauca, pro viribus et pro nuntiis acceptis, dicemus, cum generatim in hoc commentario, tum speciatim, cum de singulis Assistentiis sermo erit.

**Professores Nostri in Universitatibus externis.** — Docent:

In Universitate *Mediolanensi* Catholica: P. Andreas Oddone (Taur.), scientiam religionis.

In Universitate publica *Budapestinensi*: P. Iosephus Jánosi.

In Universitate Catholica *Neomagensi*: P. van Ginneken et P. Slijpen, Litteras humanas; P. Raaijmakers, Ius.

In Univ. publica *Lituana*: P. Stanislaus Gruodis, Theol. mor.

In *Lettoniensi*: P. Kolfschoten (Neerl.), S. Script.; P. Lapkowski, Philosoph.

In Univ. Coloniali *Takshoku* (Iaponensi): P. Ios. Eylenbosch (Belg. Sept.), Ling. angl. et graec.; in *Imperiali* (Iaponensi): P. Io. Bapt. Müller (Germ. inf.), Litt. germ.

In *Instituto Catholico Parisiensi*: P. Rodulphus Plus (Camp.), Ethicam; P. Vitus de Broglie (Franc.), Theol. dogm.; P. Ios. Bonsirven (Camp.), Philos. hebraic.; P. Petrus Aubron (Franc.), Theol. marian.; P. Henricus Belval (Franc.), Scient. nat.; P. Mauritius Potron (Franc.), Mathesim; P. Ioan. Vittrant (Franc.), Theol. mor.; P. Georgius Courtade (Franc.), Theol. fundam.; P. Yvo de La Brière (Franc.), Ius nat.; P. Iulius Lebreton (Franc.), Decan. Fac. Theol., Hist. orig. Christ.; P. Iosephus Lecler (Franc.), Theol. fundam.; P. Yvo de Montcheuil (Franc.), Theol. dogm.

In Fac. Theologica *Andegavensi*: P. Carolus de Moré-Pontgibaud (Franc.), Scient. nat.; P. Georgius André (Franc.), Theol. fundam.

In Fac. Cathol. *Lugdunensi*: P. Henricus de Lubac (Lugd.), Hist. relig.; P. Ant. Chantre (Lugd.), Litt. lat.; P. Petrus Chaillet (Lugd.), Theol. dogm.; P. Guliel. de Pierrefeu (Lugd.), Ling. angl.; P. Ioan. E. Lucien-Brun (Lugd.), Ius internat.; P. Franc. Galtier (Lugd.), Ius can.; P. August. Etcheverry (Tolos.), Criticam.

In Instit. Cathol. *Tolosano*: P. Anton. Baduel (Tolos.), Theol. mor.; P. Aemilius Jombart (Campan.), Ius can.; P. Mich. Olphe-Galliard (Tolos.), Theol. ascet. et myst.; P. Alois. Boule (Tolos.), Biol.; P. Ferd. Cavallera (Tolos.), Theol. posit., Patrol., Doctr. soc. cath.

In Univ. *Caesaraugustana*: P. Arthurus Cayuela, Litt. Graecas et Latinas.

In Univ. Cath. *Limensi*: P. Ruben Vargas (Tolet.), Dec. Fac. Litt., Hist. patr.

In Univ. *Oxoniensi*: P. Martinus D'Arcy (Angl.), Philos.; P. Ioan. Rogers, Ius can.; P. Ignat. Walker, Hist. Phil. medioaev.

In *Marianopolitana* (Canada): P. Carolus Chaput (Can. inf.), Deontolog. medicam.

In *Lavallensi* (Canada): P. Ios. Archambault (Can. inf.), Act. Cath.

In *Dublinensi*: P. Albert. Gwynn (Hiber.), Hist.; P. Timoth. Corcoran, Artem paedeut.; P. Mich. Egan, Mathes.; P. Ioan. Ryan, Hist. ant.; P. Steph. Braun, Scient. bibliogr.

In *Hongkonensi*: P. Georg. Byrne (Hiber.), Artem paedeut.; P. Geraldus Casey, Geograph.

In *Lublinensi*: P. Ioan. Roth (Pol. Mai.), Ius can.

In *Varsaviensi*: P. Aloisius Bukowski (Pol. mai.), Theol. dogm.

In *Zagrabiensi*: P. Carolus Grimm (Iugosl.), Psychol. et Ethic.

In *Pragensi*: P. Lindworsky (Germ. inf.), Philos.

In Sch. Norm. *Bonaërensi*: P. Leonard. Castellani (Argent.), Psychol.

In Sch. Milit. *Mendocensi*: P. Delphinus Grenón (Argent.), Ethicam.

In Sch. Super. Agric. *Bahiensi*: P. Camillus Torrend (Bras. Sept.), Botan. et Phytopath.

In Univ. Cath. *Iacobopolitana* (Chile): P. Victor Anzoátegui (Argent.), S. Script.; P. Abdon Cifuentes (Chil.), Theol. dogm.; P. Raimundus Echániz (Castell.), Theol. fund.; P. Albertus Hurtado (Chil.), Psychol. et Paedag.; P. Ioan. M. Restrepo (Colomb.), Theol. fundam.; P. Gustavus Weigel (Maryl. N. E.), Theol. dogm.

**Diversoria pro Studentibus Universitariis.** — Talia possident: — *Assistentia Italiae*: Patavii, « Antonianum »; Bononiae, « Domum Congregationis »; — *Assistentia Galliae*: Nancei (Nancy), « Groupe des Etudiants Catholiques » (G. E. C.); Lugduni, « Maison des Etudiants Catholiques » (M. E. C.); — *Assistentia Hispaniae*: Vallisoleti, « Residentiam Menéndez Pelayo »; Habanae, Domum Congregationis; — *Assistentia Angliae*: in Belgio, Lovanii, « Paedagogium Bellarminianum »; in Hibernia, Dublini, « University Hall »; Hongkonii, « Ricci Hall »; in Australia,

Melbourne, « Newman College »; — *Assistentia Slavica*: Cracoviae, « Domum Academicam »; Leopoli, « Marianum ». Nonnulla describemus, cum de operibus uniuscuiusque Assistentiae sermo erit.

**Domus familiares seu sociales pro Studentibus** (Foyer, Focolare, Heim), sunt illae in quibus iuvenes, etsi domicilium non habent, certis quibusdam temporibus studere, pietatem colere, recreationem capere, apostolatum exercere possunt. Eiusmodi domus instituerunt alicubi Congregationes Marianae, alibi coetus eorum qui unam eamdemque facultatem colunt. Tales sunt in Gallia « Conferentia Laënnec », Parisiis et Lugduni; « Conferentia Olivaint » pro candidatis iuris, Parisiis; « Conferentia Ampère », Lugduni; « Conferentia Sti. Hugonis » Gratianopoli; « Maison des Etudiants Catholiques » (M. E. C.), Massiliae; « Amicale des Gadz'arts Catholiques », Aquis Sextiis; « Circulus Ozanam » (C. O.), « Foyer des Etudiants Catholiques » (F.E.C.), « Foyer Lycéen Catholique », Argentorati; « Foyer Lycéen Catholique », Mulhouse et Colmar; « Congrégation des Etudiants de la Fac. de Lille »; « Groupe des Ingénieurs des Arts et Métiers Gadz'arts », Insulae.

In America Latina, Bonis Auris, « Athenaeum » et « Cursus Culturae Catholicae ». (Mem. VI. 284); Mexici, consociationes « Bios » pro candidatis medicinae, « Labor » pro futuris ingeniariis et architectis, « Lex » pro studiosis iuris.

Domum etiam eiusmodi parabat Nankini Prov. Californiae, ab aliis Americae Provinciis adiuta, cum bellum sino-iaponense eius consilium dissipavit.

## Studia academica Nostrorum anno 1938-1939

Damus in praesenti fasciculo tabulas statisticas eorum Patrum et Fratrum qui anno scholastico 1938-1939 in universa Societate biennium agebant aut gradus academicos parabant. Summam conati sumus e catalogis Provinciarum vel e particulari aliqua recensione expromere, qui labor, etsi eum accurate suscepimus, fieri non potest quin errori aut omissioni alicui sit obnoxius.

**Haec recensio est mere historica.** Sunt in omnibus Provinciis praeclari Scriptores, Magistri, Investigatores scientifici, qui vel proprio conatu, vel sub disciplina maiorum nostrorum, nomen sibi et Societati eximium compararunt. Alii magna pro Dei gloria praestiterunt, postquam in Academia publica lauream sunt consecuti. Suadebat Stus. Ignatius ut Nostri Universitates adirent, sive ad virorum eruditorum animos Deo lucrandos (P. 7, c. 2 D), sive ad audiendas optimorum Professorum lectiones (P. 4, prooem. A, c. 6, n. 6). Praecepit insuper A. R. Pater Noster ad mentem Constitutionum Apostolicarum (A. R. II, 487-494; VII, 786) ut Magistri Facultatum Superiorum earum laureis essent insigniti.

Quibusdam denique Provinciarum Praepositis die 17 dec. 1927 ita scripsit: — « Sedulo studeant numerum augere eorum, qui publicis academicis titulis ornentur; hi autem deinde magisterio stabiliter addicantur et optimi evadant paedagogi ». (A. R., VI, 107).

**Discrimen quod variae Provinciae prae se ferunt in numero academicorum** multis causis debetur: maiori aut minori Sociorum numero, qui studiis singulorum favet aut obstat; facilitati Universitates nostras adeundi; necessitati gradus academicos obtinendi, ad munus docendi obeundum in scholis mediis aut in Universitatibus nobis commissis. — Nec omnes qui, ut docere possint, gradus academicos habere tenentur, eumdem studiorum cursum peragere debent: aliqui enim, postquam duos vel tres annos paedagogiae et illi doctrinae vacarunt, quam traditurі sunt, diploma accipiunt, quo apti ad docendum declarantur; alii diuturniora studia facere coguntur, quae sine magno Provinciae sacrificio complere vix possunt.

**In modo quem tenent variae Provinciae hos gradus parandi, sat magna varietas est.** Quaedam enim, iuvenum penuria laborantes, eos ita praeparant, ut communi et cotidiano docendi labori, studia universitatis adiungant. Nonnulli sunt in America, qui dum suam disciplinam parant, in ea ipsa docenda proprium Professorem iuvant. Alii, ut in America, Neerlandia et Polonia, commorantur simul in Collegiis Nostrorum aut externorum, sed a labore docendi omnino vacui. Sunt denique Provinciae, ut Anglia et Hibernia, quae proprias domos habent prope Universitatem, in quibus laureae candidati, finito studio Philosophiae aut Theologiae, in studia academica incumbunt, ab aliis muneribus expediti.

**Fructus horum studiorum** non est solum scientificus, sed in ipsa ministeria redundare potest. Cum enim apostolatus inter

## Studia academica Nostrorum (Anno 1938-1939)

| ASSISTENTIAE PROVINC. | Theol. | Philos. | S. Scr. | Miss. [1] | Orient. | Hist. Ge. | Ius can. | Oec. Soc. | Mat. Phy. | Chimia | Astron. | Sc. nat. | Paedag. | Litterae | Var. [2] | Univer. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Romana | — | — | — | 1 | — | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | 3 | 5 |
| Neapol. | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 |
| Sicula | 1 | — | 2 | — | 1 | 1 | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | 6 |
| Taurin. | 1 | — | — | 3 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 1 | 6 |
| Veneta | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 2 | — | 2 |
| Austriae | — | — | — | 9 | — | — | — | — | — | — | — | 1 | — | 1 | — | 11 |
| Germ. Inf. | 3 | 1 | 1 | 5 | 1 | — | 1 | 1 | 1 | — | — | — | — | 5 | 11 | 30 |
| Germ. Or. | — | — | — | 5 | — | 2 | — | — | — | — | — | 1 | — | 1 | 3 | 12 |
| Germ. Sup. | — | 1 | 1 | 4 | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 8 |
| Hungar. | — | — | — | 3 | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | 3 | — | 7 |
| Lituan. | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 3 | — | 3 |
| Neerland. | 1 | 1 | — | — | — | 2 | 2 | — | — | 1 | 1 | 2 | — | 14 | 1 | 25 |
| Campan. | 1 | — | 1 | 3 | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | 23 | 2 | 31 |
| Franciae | 2 | — | 2 | 5 | — | — | — | — | — | 1 | — | — | — | 14 | 1 | 25 |
| Lugdun. | 2 | — | 1 | 10 | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | 10 | — | 24 |
| Tolos. | 1 | — | — | — | — | — | — | — | 1 | — | — | — | — | 9 | — | 11 |
| Aragon. | — | 1 | 1 | — | — | — | 1 | 3 | — | 1 | — | 1 | 1 | — | — | 11 |
| Baetica | 2 | — | 2 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | — | — | 4 |
| Castell. | 1 | 2 | — | 10 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 14 |
| Legion. | 1 | — | — | 9 | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 10 |
| Lusitan. | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 1 |
| Toletan. | — | 1 | — | 2 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 3 |
| SUMMA | 16 | 7 | 12 | 69 | 3 | 8 | 6 | 5 | 2 | 3 | 1 | 5 | 2 | 86 | 25 | 250 |

(1) In columna « Missionum » eos omnes includimus, qui linguas Missionum (Iaponicam, Sinensem, Arabicam, Indicam, Africanam) data opera addiscunt; eosque qui lauream parant in Missiologia.

(2) In columna « Varia » eos qui parant examen « Magisterii », vel quorum disciplina specialis non constat in Catalogo. — Ob loci angustias, Provincias non nominamus, in quibus nulla fieri videntur eiusmodi studia.

## Studia academica Nostrorum (Anno 1938-1939)

| ASSISTENTIAE PROVINC. | Theol. | Philos. | S. Scr. | Miss. | Orient. | Hist. Ge. | Ius can. | Oec. Soc. | Mat. Phy. | Chimia | Astron. | Sc. nat. | Paedag. | Litterae | Var. | Univer. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Anglia | — | 1 | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 30 | 33 |
| Belg. Mer. | — | — | 1 | — | — | 1 | — | 4 | — | — | — | 1 | — | 40 | — | 47 |
| Belg. Sept. | — | — | 1 | — | — | — | 1 | 1 | — | — | — | 2 | — | 22 | 2 | 29 |
| Can. Inf. | — | 1 | 1 | 12 | — | — | — | 2 | — | 1 | — | 2 | — | — | — | 19 |
| Can. Sup. | 1 | 1 | — | — | — | — | 1 | 1 | — | — | — | — | — | — | 7 | 11 |
| Hibern. | — | 2 | — | — | — | — | — | 2 | 2 | — | — | — | — | — | 47 | 53 |
| Califor. | 2 | — | — | 8 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 3 | 13 |
| Chicag. | 2 | 1 | — | 7 | — | 3 | — | 3 | 5 | 1 | 1 | — | 6 | 6 | 5 | 33 |
| Maryl. N. E. | 3 | 5 | 1 | 3 | — | 6 | 7 | 7 | 4 | 1 | — | 2 | — | 9 | — | 55 |
| Missour. | 2 | 2 | — | — | — | 6 | 1 | — | 2 | 1 | 1 | — | — | 6 | 6 | 26 |
| Neo Aur. | — | 2 | — | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 4 |
| N. Angl. | 2 | 2 | — | — | 1 | 1 | 2 | 1 | — | 1 | — | 1 | 1 | 5 | 5 | 21 |
| Oregon. | — | 1 | — | — | — | 1 | — | 1 | 2 | — | — | 1 | — | 2 | 3 | 12 |
| Bohemiae | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 4 | 5 |
| Slovakiae | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 | 1 |
| Iugoslav. | 1 | — | — | — | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | 3 | 5 |
| Pol. Mai. | — | — | — | — | — | 4 | — | — | 1 | — | — | 2 | — | 3 | — | 10 |
| Pol. Min. | — | — | — | — | — | 2 | — | — | 3 | — | — | 2 | — | 6 | 3 | 16 |
| Argent. | — | — | — | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | 3 | 4 |
| Bras. Mer. | — | 1 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1 |
| Colomb. | — | — | — | 2 | — | — | — | — | 1 | — | — | — | — | — | — | 3 |
| Mexican. | — | — | 1 | 4 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 5 |
| SUMMA | 13 | 20 | 5 | 36 | 2 | 26 | 13 | 22 | 20 | 5 | 2 | 13 | 7 | 100 | 122 | 406 |
| Sum. ant. | 16 | 7 | 12 | 69 | 3 | 8 | 6 | 5 | 2 | 3 | 1 | 5 | 2 | 86 | 25 | 250 |
| SUMMA TOT. | 29 | 27 | 17 | 105 | 5 | 34 | 19 | 27 | 22 | 8 | 3 | 18 | 9 | 186 | 147 | 656 |

aequales adeo nostro tempore a Summis Pontificibus commendetur, certe ii qui Universitates cum laude frequentarunt, maiore possunt auctoritate et experientia earum Professores et alumnos ad Deum allicere. Id optime apparet in directoribus quarumdam Congregationum et Consociationum studentium, medicorum, ingeniariorum, etc. Ceterum fructus horum studiorum hic, in commentariolis de domibus studiorum Angliae et Hiberniae, uberius expressos videbitis.

## Scientia rerum naturalium saluti animarum serviens

Die 20 sept. 1938, nocte intempesta, mare scindebat navis oceanica « Conte di Savoia » Neo Eboracum versus, cumque a promuntorio Hatteras abesset milia ducenta, ecce radiogramma urgentissimum a specula quadam meteorologica: « Turbidam ventorum procellam e Statu Indiana in mare prosiluisse navique obviam e regione venire. Sibi provideret ». — Navis Praefectus, telephonum arripiens, iubet statim arcessi P. Ernestum Gherzi, Directorem Officii Meteorologici Zikawiensis, qui forte eadem navi vehebatur. Legit ille nuntium, instrumenta meteorologica in turri praetoria exstantia consuluit, dumque illum Praefectus anxius intuebatur, oculos ad eum serenos tollens: « Esto securus, dixit; procella in terram continentem convertitur, ubi, quantum possumus coniectura capere, Long Island et littus orientale percellet. Potius illius regionis gentes monendae erant, ut sibi consulerent tempestive ».

Post dies duos appellebatur navis in portum Neoeborancensem, dum ephemeridum venditores nuntios spargebant, Long Island magno turbine perculsam multasque hominum neces gravemque rerum stragem esse perpessam. Ephemeridum scriptores, qui una cum Patre navigabant, magna fuerant admiratione capti, cum viderent fidem illi a Praefecto navis adhibitam esse in re tanti momenti. Nunc, cum exitum conspicerent, erant quasi attoniti. Aliter duces et Praefectus navis de Patre sentiebant. Omnes enim Orientis maria navigantes bonum P. Gherzi notum et carum habent, a quo sciunt multas quotannis naves ab excidio vindicari. Ideo eum « Patrem Typhonum » vel « Patrem Typhonem » nominant, semperque die ac nocte paratum esse sciunt, per se ipsum respondere de gravi aliquo periculo imminenti consulentibus.

Specula Zikawiensis coepit typhones in Extremo Oriente anno 1887 nuntiare. Cum paulo ante bellum mundiale radiophonio uti potuit, suam efficaciam mirifice extendit. Quantum ipse P. Gherzi conicere potest, ultimis 20 annis, decies centena milia hominum morti speculae monitis erepta sunt, et decies milies centena milia dollariorum servata, quae una cum navibus et mercibus interiissent. Nunc maior est speculae utilitas, cum etiam velivolae machinae eius nuntios accipiant.

Tanto labore vitam quidem et fortunas multorum hominum bonus Pater servare intendit, sed cito in simplici et humanissimo eius sermone ardor effulget, quo studet haec omnia in salutem animarum dirigere; nec quisquam dubitare poterit, quantum horum Missionariorum scientia et virtus ceteris Missionariis auctoritatis tribuat. (Ai Nostri Amici, mart. 1939).

## AUGMENTUM SOCIETATIS INEUNTE ANNO 1939
(desunt tres Catalogi)

| | Patres | Schol. | Coad. | Universi |
|---|---|---|---|---|
| Assist. Italiae | + 24 | + 4 | + 13 | + 41 |
| Assist. Germaniae (1) | + 68 | + 14 | — 13 | + 69 |
| Assist. Galliae | + 22 | — 14 | — 10 | — 2 |
| Assist. Hispaniae | + 5 | + 13 | — 20 | — 2 |
| Assist. Angliae | + 35 | + 5 | + 12 | + 52 |
| Assist. Americae | + 101 | + 27 | — 7 | + 121 |
| Assist. Slavica (1) | — 17 | — 25 | — 14 | — 56 |
| Assist. Amer. Lat. (incompl.) | + 8 | + 13 | + 10 | + 31 |
| | + 246 | + 37 | — 29 | + 254 |

(1) Complures e Prov. Bohemiae (Assist. Slav.) transcripti sunt in Provincias Assist. Germaniae, praesertim in Prov. Austriae.

# ASSISTENTIA ITALIAE

## Commentarius bimensilis "Civiltà Cattolica„ nonagesimum vitae annum commemorat

Commentarius periodicus « Civiltà Cattolica », tam bene de Ecclesia et de universa hominum societate meritus, nonagesimum vitae anniversarium hoc anno commemorat. Conditus Neapoli anno 1850, expressa voluntate Summi Pontificis Pii IX, non solum Ecclesiam strenue semper defendit, sed Societatis nomen inter divinarum humanarumque disciplinarum cultores clarissimum reddidit.

**Scriptores habuit insignes ex omnibus Italiae Provinciis:** PP. Taparelli, Liberatore, Bresciani, Franco, Brunengo, Salis-Seevis, Ballerini, Oreglia, Garrucci, Angelini, Cornoldi, De Santi, Pavissich, Zocchi, Gallerani, Bricarelli, Polidori, Brandi, Freddi, Rosa, aliosque quamplurimos, qui de scientiis divinis et humanis et de pulchris artibus copiose scripserunt.

Hi Patres Collegium Scriptorum constituunt, a Summo Pontifice Pio IX, anno 1866 conditum, et sub immediata iurisdictione Patris Generalis positum, quo diuturnior et efficacior esset illius vita. Nihil in huius Collegii sede admiratione dignum videbis; nihil nisi novam bibliothecam ducenta quinquaginta voluminum milia continentem, et aulam ephemeridum cum prope 400 periodicis libellis et 30 ephemeribus, quae suos fasciculos cum Civiltà Cattolica libenter commutant; nihil nisi claros homines officio scribendi deditos, quod, data occasione, cum parvo ministerio temperant; nihil nisi Divinum Magistrum eiusque Matrem, qui eos illuminant animosque roborant.

**Labor horum scriptorum cuilibet intuenti Commentarium patet.** Quaestiones gravissimas in populorum et Ecclesiae vita surgentes luce fidei catholicae cotidie illustrant: sacras, philo-

sophicas, iuridicas, oeconomicas, sociales, scientificas, artisticas, archaeologicas, historicas, litterarias. Cogitate acerrimas pugnas, ad philosophiam scholasticam in pristinam laudem revocandam, ad dogmata Infallibilitatis et Immaculatae Conceptionis illustranda, ad iura divina et civilia Sanctae Sedis tuenda, ad errores liberalismi, modernismi, socialismi, neo-caesarismi detegendos et refellendos, ad portenta eruditorum et artificum insanas novitates appetentium averruncanda. — Rerum in dies gestarum commemoratio per annos 90, a prudentibus hominibus facta, fontem uberrimum historiae aperit, a multis avide quaesitum. Iudicium librorum plus 600, qui singulis annis in domum confluunt, eruditos dirigit in selegendis suorum studiorum instrumentis, ipsosque scriptores cautiores reddit in eis conficiendis. — Quae cum ita sint, mirum non est plurimos Patres Purpuratos, Episcopos, Professores, publicos Legatos huius Commentarii subnotatores esse; nationes 62, multasque bibliothecas publicas aditum illi patefacere.

**Sed eius meritum extollitur praesertim litteris Summorum Pontificum,** Pii IX, Leonis XIII, Pii X, Pii XI. Cum Commentarius 75$^{mum}$ vitae annum ageret, SSmus. Pater Pius XI laudavit eius « singularem devotionem erga Sedem Apostolicam, constantem oboedientiam omnibus mandatis et desideriis Romani Pontificis, doctrinam et eruditionem multiplicem, quae in multis eius scriptoribus collucebat ».

Has laudes cumulavit SS. Dominus Pius PP. XII, litteris « Nonagesimo anno vertente », datis die Sti. Petri Canisii 1939, quibus Commentarii Scriptores extollit, « quod numquam in tam longo temporis decursu eorum virtus defecerit; quod nullis pepercerint laboribus, ad catholicam fidem tuendam, ad novos errores (liberalismum, modernismum, communismum atheum) refellendos; quod in eis refellendis, tum doctrina revelata, tum perenni philosophia et doctrina Aquinatis magna laude sint usi; quod in eventibus, vel laetis vel tristibus, dilucidandis, quae Ecclesiae vitam comitantur, normas, praescripta, optata Sedis Apostolicae ante oculos constanter posuerint ac ponere pergant; quod denique minime neglegant tractationes rerum historicarum, scientiarum ac litterarum, in aedificationem fidei et salutarem populi instructionem ». Haec omnia, aliaque plurima paterno affectu a Summo Pontifice prolata, in proximo fasciculo de « Actis Romanis », degustabitis.

## Opus Exercitiorum et Perseverantiae in Prov. Neapolitana

In Vol. VI. p. 141-151 diximus quantum hoc opus in quibusdam Provinciis Italiae proficeret. Pauca tum de Neapolitana

ad nostras aures pervenerant. Sed ecce cura et diligentia Patris J. M. Peluso relationem accipimus, quae lectores nostros gaudio afficiet.

**Etiam in Prov. Neapolitana,** ait Pater, hoc opus, divina certe Providentia ordinatum, magnam sui spem facere coepit. Eius director P. Armandus Jué, ut illud notum faceret eique solum pararet, ad omnes Episcopos Italiae Meridionalis et ad ipsum Gubernii Caput librum misit, inscriptum « Pro pace individuali et sociali » (Per la pace individuale e sociale). ubi narratur quantum hoc opus Exercitiorum, ad vitam spiritualem regenerandam, ab eius ortu usque ad praesens tempus, contulerit. Responderunt illi gratulantes eique animos facientes. ipseque Summus Reipublicae Moderator gratias ei relatas esse voluit. Hac Praesulum approbatione, maxime vero divina gratia et Superiorum benedictione munitus, opus ipsum diffundere aggressus est.

Operis institutionem in singulis oppidis praecedit semper Missio extraordinaria, quae mirum ubique successum obtinet. In quibusdam centris habita est etiam vigilia eucharistica nocturna, cui aliquando viri 2.000 interfuerunt. Pia Viae Crucis meditatio, facta per vias publicas et parvis exhortationibus illustrata, huic labori coronam imponit. P. Director in contionando et docendo formam suam propriam tenet. Occasiones omnes nanciscitur etiam minimas, ut sibi audientiam faciat. Uno laboris anno magnum iam fructum collegit.

**In provincia Rheginensi** (Reggio Calabria) ortae sunt quinque sectiones valde florentes. Magnae virorum copiae publice Viam Crucis perlustrarunt. Manipulorum ductores (Capi-gruppo) circiter 50 in secessum venerunt per integrum diem. Templum Victoriae, dum triduani cultus in honorem Sti. Andreae Bobola habebantur, solis viris et iuvenibus praeter morem impletum est, qui omnes ad Mensam Eucharisticam accesserunt.

« Opus Perseverantiae — scripsit operarius quidam ad P. Directorem, — dum viros Deo viciniores facit, perditam eis dignitatem restituit, eosque vano hominum timore liberat, quae causa est praecipua multorum nostrorum peccatorum ». — Alius suos animi sensus ita exprimit: — « Rde. Pater, nunquam pulchra tua et sancta verba oblivisci poterimus... quae tantopere vitam nostram terrenam immutarunt. Iuvenis sum studiosus, adeoque tuis sermonibus ad Deum trahi me sentio, ut vitam retexerem libenter, ne ullo vel minimo peccato eam maculatam

viderem. Sed conabor in posterum omnem tentationem omnemque vel levem culpam effugere. Perseverantiae Opus utile et necessarium esse in nostra civitate puto. Ad illud promovendum socium me semper indefessum, Iesu Nostro confisum, habebis.

**Consentiae et Paolae,** in patria magni Thaumaturgi Sti. Francisci, institutum est Opus expresso mandato Episcopi Excmi. Dni. Roberti Nogara, tanto virorum et iuvenum concursu, ut circa 3.000 illi adhaeserint. — « Miracula videmus, — clamant Sacerdotes et laici, — viri heroes facti sunt. Nunquam in vita nostra simile spectaculum conspeximus. Templum cathedrale, quod plerumque desertum erat, fuit nunc decem noctibus successivis, per duas horas cotidie, solis viris attentissimis plenum,... voce alta orantibus et canentibus, cum plerumque mutorum instar in ecclesia starent. Gratiae miraculum istud est ». — Parochus urbis Paolae, Dnus. Ioannes Ibano, confessus est: — « Nunc primum, in mea longa vita Paroeciali, video tantam virorum multitudinem Rosarium elata et clara voce recitantem ». — Opus in locis duocedim stabilitum est; sectiones numerat 27; Patri Jué alius Pater Socius assignandus fuit.

## Opus Exercitiorum in Prov. Sicula

Die 12 aprilis 1939 Emmus. Card. Lavitrano et ceteri Episcopi Provinciae Siculae Bachariam, in nostram Domum Probationis convenerunt, ut de salute ovium sibi subditarum inter se consulerent. Hac occasione P. Bartholomaeum Padua S. I. de Opere Exercitiorum disserentem audire voluerunt. Cuius oratione ita commoti sunt, ut eius compendium peterent, quod ad omnes suos Parochos transmitterent, ad Opus saluberrimum quam primum in suis dioecesibus ineundum. (A. n. A., maii, 39).

## Disputationes Scientificae

**In Universitate Bononiensi.** — P. Richardus Lombardi, invitatus ab Actione Catholica et a Congregatione Mariana Universitatis Bononiensis, disseruit hoc anno coram Professoribus et alumnis non paucis de Revelatione Christiana. Quinquies in unam ex amplissimis aulis conventum est, tantaque fuit omnium assensio, ut orator sextam orationem in Circulo Philosophico habere cogeretur, qua demonstravit, quantum esset actus fidei rationi consentaneus.

**In Facultate Philosophica Gallaratensi.** — Quas anno superiore (VI, 632) retulimus disputationes scientificas in Coll. Gallaratensi a Professoribus Universitatum habitas esse, simili Scholasticorum plausu et profectu hoc anno 1939 habitae sunt. — Die 11 ian. Prof. Ambrosius Ballini, Universitatis SS. Cordis Mediolanensis, lectionem habuit de « Elementis philosophicis religionum indicarum ». — Diebus 14 et 28 ian. Prof. Bruno Finzi, Univ. Regiae, de « Theoria Relativitatis ». — Die 8 febr. P. Andreas Oddone S. I., Univ. SS. Cordis, de « Psychologia Resipientium et de conversione Alexandri Manzoni ». — Mensibus febr. et mart. Prof. Ioannes Polvani, Prof. Physicae experimentalis in Univ. Regia, per tres dies « Lucis naturam » explicuit. — Idem Professor opem tulit ad erigendum in Coll. Gallaratensi « Laboratorium Microphysices », quod erit, ad constitutionem materiae investigandam, utilissimum. — Die 25 febr. Prof. Humbertus Padovani, Univ. SS. Cordis, explicuit « Philosophiam Kantianam ». (I Gesuiti, apr. 1939).

**In Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi.** — Nonnulli catholici, qui fructum degustaverant e disputationibus anno superiore habitis a P. Carolo Giacon, novum hoc anno cursum habere voluerunt. Revmus. Bibliothecarius Ambrosianae amplissimam eius aulam concessit; quattuor Professores utriusque Universitatis et Polytechnicae scholae invitationibus distribuendis subscripserunt; ipse R. P. Provincialis, Paulus Dezza, septem orationes habuit de Jesu Christi natura, missione, miraculis, etc., coram confertissima gravissimorum virorum corona, quos inter multi Professores utriusque Universitatis et scholae Polytechnicae versabantur.

**In Patavino Convictu "Antoniano„** P. Carolus Messori orationes habuit in Cursu Superiore Culturae Religiosae, explicans « Vitae humanae naturam et finem ». Demonstravit haec non recte exprimi in fabulis quibusdam recentissimis multum laudatis et praemio dignis iudicatis; solum in vita et doctrina Iesu Christi intelligi posse, quid in vita humana significent mundus, cupiditas, tentatio, dolor. — In eodem Cursu disseruit P. Cyprianus Casella de « Razza et Razzismo » et de Summo Pontifice Pio XI, tamquam de Patre populorum et Principum, de Maecenate scientiarum et artium, de Restauratore disciplinae ecclesiasticae, de Renovatore doctrinae socialis Leonis XIII, de Ampliatore pietatis eucharisticae a Pio X promotae, de Magistro et defensore Actionis Catholicae. — Cursum clausit P. Io. Fausti demonstrans, quantum ecclesia Catholica in Albania sperare possit, a libertate novo rerum statu illi concessa, et adhuc ab islamitis denegata.

**Tergesti, Cursus Culturae Religiosae** etiam hoc anno Patrem Petazzi magistrum habuit. Ab anno 1932 quinque iam lec-

tionum traditarum volumina edidit: de Deo, de anima, de fide catholica, de Christo, de Ecclesia. Hoc anno in suis lectionibus Mysterium exposuit SS. Trinitatis.

Dum eruditorum virorum intellectus illustrabatur, eorum voluntates non neglegebantur. Mediolani, Patavii, Goritiae, Bononiae, Mutinae, Veronae, Treugii, Bassani, recessu per tres quattuorve dies habito, eorum animi ad Communionem Paschalem parati sunt. (I Gesuiti, maio, 1939).

## Domus Congregationis Marianae pro Universitariis Bononiensibus

Diximus Assistentiam Italiae diversoria duo possidere pro studentibus universitariis, quorum prior esset « Antonianum » Patavii. Hunc abunde descriptum habetis in Actis Romanis, II, 487-494. — In urbe Bononia, ubi tam multi sunt iuvenes Universitatem frequentantes, domus floret, in qua Studentes catholici aliunde venientes vitam agunt, vel saltem interdiu laborant et prandium sumunt. Numerantur in ea Universitarii praesentes et antiqui 95, Lyceistae 65. — Ad christianam eorum vitam tuendam exigitur ab omnibus ut Congregationi Marianae sint adscripti, quod porro nemini conceditur, qui virtutes Sodalium proprias colere recuset. Inter eos insignis fuit Iacobus Maffei, Medicinae studiosus, qui tametsi paucos annos in ea domo versatus est, eam tot virtutibus illustravit, ut liber de illis componeretur, dictus « Un Corsaro di Cristo ». (A. R., VII, 616).

In memoriam huius Sodalis et ad Sanctae Sedis mandata exsequenda, condita est in Congregatione Sectio seu Associatio Actionis Catholicae sub titulo « Giacomo Maffei », magno favore SS. Pontificis et Emmi. Archiepiscopi illius Dioeceseos. Iuvenes congregat, qui, proposito sibi exemplo Iacobi Maffei, novis se stimulis concitatos sentiunt, ad omnes virtutes christianas erga Deum, erga Sanctam Matrem Ecclesiam, erga patriam et familiam, erga se ipsos exercendas. Aliqui scholam frequentant a Foedere dioecesano A. C. institutam, ad catholicam doctrinam efficacius propagandam; omnes Conferentiis Sti. Vincentii a Paulo adhaeserunt ab ipso Maffei inter universitarios fundatis; omnes in studia suarum Facultatum tanto fervore incumbunt,

## PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

| FACULTAS | | NUMERUS AUDITORUM | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | 1935-36 | 1936-37 | 1937-38 | 1938-39 |
| Theolog. | a. VI | 10 | 12 | 11 | 13 |
| | V | 127 | 125 | 113 | 90 |
| | IV | 291 | 348 | 291 | 356 |
| | III | 345 | 274 | 325 | 365 |
| | II | 268 | 292 | 329 | 318 |
| | I | 292 | 318 | 321 | 293 |
| | | 1333 | 1369 | 1390 | 1435 |
| Curs. Sem. | a. IV | 18 | 38 | 26 | 28 |
| | III | 33 | 28 | 27 | 26 |
| | II | 32 | 24 | 20 | 26 |
| | I | 34 | 22 | 27 | 17 |
| | | 117 | 112 | 100 | 97 |
| Ius Can. | a. III | 38 | 60 | 40 | 46 |
| | II | 78 | 65 | 72 | 83 |
| | I | 75 | 83 | 94 | 88 |
| | | 191 | 208 | 206 | 217 |
| Philos. | a. V | 6 | 9 | 9 | 5 |
| | IV | 15 | 33 | 21 | 22 |
| | III | 75 | 69 | 126 | 111 |
| | II | 163 | 171 | 206 | 203 |
| | I | 144 | 164 | 190 | 171 |
| | | 403 | 446 | 552 | 512 |
| Hist. Eccl. | a. III | 10 | 9 | 9 | 14 |
| | II | 12 | 12 | 17 | 16 |
| | I | 15 | 14 | 18 | 18 |
| | | 37 | 35 | 44 | 48 |
| Missiol. | a. III | 1 | 1 | 3 | 1 |
| | II | 2 | 3 | 1 | 1 |
| | I | 6 | 3 | 1 | 1 |
| | | 9 | 7 | 5 | 3 |
| Curs. Propaed. | | 13 | 12 | 15 | 21 |
| Litt. Latin. | | | | 4 | 4 |
| SUMMA TOTALIS | | 2103 | 2198 | 2316 | 2337 |

ut duo ex eis suas elucubrationes investigationis historicae, totidem investigationis scientificae, quinque medicinae, unus mechanicae in lucem ediderint. (Not. Prov. Rom. 1937, pg. 146-151).

## Amor operariorum et militum in Assistentia Italiae

**Opifices Mediolanenses.** — Rogante Rdmo. D. Baldelli (S. Congr. Consist.) et plena approbatione Emmi. Card. Alfredi Schuster, Prov. Veneto-Mediolanensis munus sibi imposuit, opifices Mediolanenses in ordine morali et religioso iuvandi. Sperant Superiores hoc opus anno venturo plenam evolutionem habiturum esse, et fore in ea Provincia *opus illud speciale, quod centenarii causa, in bonum humilioris classis,* Congregatio Generalis XXVIII decreto 42 (l. c.) aggrediendum commendavit. (A. R. IX, 43).

**Ferroviarii Bononienses.** Bononiae Villae Sti. Ioseph, quae 20 exercitantes capere poterat, accessio est addita, ita ut 40 in eam possint una convenire. Sic accidere potuit, ut anno 1937 viri 472 (Sacerdotes, universitatis alumni, artem liberalem profitentes) Exercitia in hac domo peragerent. Eam etiam frequentarunt ferroviarii, quorum apostolatus initium scitu dignum videtur. — Frenator quidam ferroviarius, Iuventuti Catholicae adscriptus, cum P. I. Antonini, Domus Exercitiorum directore, consuetudinem iunxit. Per hunc habuit Pater aditum ad viae ferreae ingeniarios et directores; per illos ad ceteros opifices. Iam anno 1936 colloquia quaedam de religione cum illis habuit; mense novembri 1937 sollemne funus paravit pro ferroviariis defunctis, cui directores et opifices eo tempore labore vacui, magna devotione interfuerunt. Animis ita dispositis, facile Pater obtinuit, ut anno 1938 sibi liceret eos per Exercitia spiritualia ad Communionem paschalem disponere.

**Militum apostolatus.** – Saepe de hoc apostolatu sermo fuit in Memorabilibus (VI, 154, 604) cum diceremus de cura Patris Apolloni, ut in omnibus militum castris romanis annua confessio et communio perageretur. Complures Patres Societatis omnium fere domorum civitatis, cum aliis religiosis et alumnis Seminarii P. L. Americani, a Patre invitati singulis annis in singula castra accurrunt, magno optimorum iuvenum fructu et solatio. Excmus. Dnus. Angelus Bartolomasi, Archiepiscopus Ordinarius

Militaris, cum hanc in suos subditos caritatem iamdiu exerceri, non modo Romae, sed etiam Goritiae, Liburni et Tergesti videret, litteras dedit ad Patrem Nostrum cum magna gratiarum significatione, quas in proximo fasciculo Actorum Romanorum degustare poteritis.

### Missio Albaniensis (Veneto-Med.) a belli trepidatione sospes.

Recentes mutationes Regni Albaniensis Nostrorum omnium attentionem in Missionem converterunt, quam ibi Prov. Veneto-Mediolanensis commissam habet. Eius incolas Christo lucrari conantur Patres 23, Scholastici 3, Coadiutores 21, qui omnes non modo ex ea mutatione damnum nullum subierunt, sed eam sperant universis Catholicis Albaniae fore propitiam. Multum enim Catholici, Turcarum iugo subacti passi erant, immo, gentes simplices et sibi relictae, ingenti perversionis periculo perpetuo suberant.

Anno 1841 tres nostri Patres Scodram (Scutari) missi erant, qui scholam gratuitam et parvum seminarium conderent. Sed anno 1843 a Turcis expulsi, in legationem Austriacam confugere debuerunt. Anno 1848 novum conatum fecit P. Claudius Stanislaus Neri, qui sedem fixit Dyrrachii, usque ad 1856, quo Scodram a S. C. de Propaganda missus est, ut Seminarium pararet. Sed ecce cum die 12 apr. eius fundamenta iacere coepisset, die 12 iunii coactus est ea suis expensis demoliri. Tunc intervenit Gubernium Austriacum, Turcarum impudentia fracta est, et anno 1859 novum Seminarium primos alumnos excepit, cui postea fere omnes Sacerdotes et Episcopi Albanienses suam institutionem referunt acceptam.

Iuxta Seminarium natum est anno 1877 Collegium « Xaverianum », ita vocatum, quia difficultates contra illud obortae precibus novendialibus Sti. Francisci Xaverii dissipatae sunt. Optimi ex eo cives prodierant, cum anno 1933 novis gubernii legibus oppressum est. Anno 1927 Tiranam, in urbem regni principem, ventum erat, in qua Schola Apostolica pro Societatis candidatis et parvum Collegium pro externis exstiterunt. Illud quoque anno 1933 pueris Albaniensibus suas aulas claudere debuit et solos pueros Italicos in eas admittere. Cetera de Orphanotrophio, de Missionibus volantibus, vide sis in hoc Commentario. (VI. 154-155, 222-223).

Cum, tot persecutionibus non obstantibus, pergerent Nostri magna constantia laborare, parvum sacellum Tiranae exstruxe-

runt, quod novo ampliori templo locum cedere debuit. Anno 1938 primus eius lapis depositus est, speramusque amplum pulcherrimumque aedificium florentissimam communitatem christianam brevi excepturum esse. (I Gesuiti, maio, 39).

## Genitor cum omnibus suis filiis Societati Iesu adscriptus

In pag. 49 huius voluminis gratum animum diximus, quo Belgici Patres viros saeculares, operam in nostris Collegiis navantes, prosequuntur. In Provincia Veneto-Mediolanensi ipse Iesus hanc curam suscepisse videtur. Die 2 februarii huius anni ultima vota Brixiae nuncupavit P. Pius Colpo, qui, cum litteras latinas et graecas in illo ipso Collegio, vir saecularis, doceret, tres suos filios, quotquot illi erant, Societati dederat. Uxore orbatus et Sacerdotio initiatus, filiorum vestigia pressit, Societatem ingrediens. Collegium Brixiense exsultavit, cum antiquum Professorem saecularem vidit, Noviciatu finito, pristinam suam cathedram iterum conscendere, cumque eum tandem conspexit, suis caris filiis circumdatum, ultima vota nuncupare. (I Gesuiti, mart. 39).

## Opus Exercitiorum in Prov. Veneto-Mediolanensi

Villa SSmi. Cordis Treugiensis (Triuggio) uno anno 1938 his cursibus Exercitiorum patuit:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 29 pro iuvenibus . . . . | 1.089 | 32 pro opificibus . . . . | 1.115 |
| 9 pro studentibus . . . | 448 | 17 pro professionalibus . | 304 |
| 2 pro officiorum ministris | 35 | 8 pro Sacerd. et Relig. . | 197 |

Universi: Cursus 97 - Exercitantes 3.188.

## Centesimum anniversarium Canonizationis Sti. Francisci de Hieronymo

Stus. Franciscus de Hieronymo supremos Sanctorum honores die 26 maii 1839, Gregorio XVI Pontifice Maximo, adeptus

est. Provincia Neapolitana huius anniversarii clausulam hoc mense maio quinariis precibus recoluit, quarum primum diem viri Operi Exercitiorum et Perseverantiae adscripti, alterum alumni Scholae Apostolicae, tertium alumni nostri Collegii Pontani, quartum Scholastici et Novicii Societatis, quintum populus universus celebrandum susceperunt.

Huius anniversarii occasione notior facta est pulcherrima imago Btmae. Virginis, intima cum Sto. Francisco conexionem habens, quam in hoc fasciculo exhibemus. Illa enim Stum. Franciscum in eius missionibus popularibus comitabatur; Illa eius auditores amore inflammabat; Illa nunc altari praesidet, quod reliquias Sti. Francisci Neapoli custodit. Nec minus origine excellit. Est enim una ex iis, quas Stus. Pius PP. quintus ad normam imaginis Stae. Mariae Maioris depingi iussit, quae vulgo Stum. Lucam auctorem habuisse dicitur.

# ASSISTENTIA GERMANIAE

## Regia Familia Neerlandiae Patrem Societatis disputantem audit

Regia Princeps Iuliana, Regni Neerlandici haeres, viros doctos nuper invitavit ut in suis aedibus Haga-Comitanis de quaestionibus scientificis coram selectissima corona disputarent. Hunc honorem tribuit etiam Patri Nostro Carolo Raaijmakers, qui, cum Ius in Universitate catholica Neomagensi profiteatur, argumentum suae disputationi praefixit « Interventum Status **in vita Oeconomica** ».

Aderant circiter 60 auditores, in primis Regia Princeps Iuliana, eiusque maritus, Princeps Bernardus, qui nonnullas Patri quaestiones preposuit. Finita disputatione familiarem sermonem cum Patre miscuerunt, in quo Princeps Regia in omnibus Patri se consentire dixit, et Litteras Encyclicas « Quadragesimo Anno » bene se notas habere demonstravit.

Haec eo maiori nobis solacio esse debent, quod nunc primum Pater Societatis in aula regia Neerlandiae, coram eius Principibus verba fecit. (Nuntii Neerlandiae, apr. 29).

## Consociatio Iuvenum Agricolarum in Hungaria

**Associatio Iuvenum Agricolarum in Hungaria** est quasi sectio Actionis Catholicae, cuius duces eam ut talem agnoscunt et magna benevolentia fovent. Ortum duxit Szegedini, ubi ante annos tres P. Eugenius Kerkai iuvenes agricolas maxime intelligentes e pagis vicinis passim attrahebat, eosque tum sanctis Exercitiis ad vitam christianam informabat, tum de rebus oeconomicis et de modo suos socios lucrandi instruebat. Tanta id diligentia effecit, ut hoc solo triennio 150 Exercitiorum cursus pro his iuvenibus habiti sint, qui plerumque e 10 aut 15 pagis congregabantur.

**Iam nunc Associatio ad 2000 pagorum extenditur,** circa 120 milia iuvenum agricolarum complectens, quibus accedunt, quasi patroni Associationis, agricolae maturioris aetatis 200 milia. Eius finis est iuvenes in fide catholica firmare, eosque sic iuvare et instruere, ut eorum conditio oeconomica funditus melior fiat. Hunc finem intendit foliolum menstruum, cuius 40 milia exemplarium eduntur, maxime vero iuvat frequentia sacramentorum, quae multum invaluit inter eos iuvenes. Ii qui aptis ingeniis ad mercaturam exercendam pollent huius artis lectionibus excoluntur, quo facilius mercatores iudaeos e pagis arcere possint.

**Associationis directores immediati** sunt maximam partem sacerdotes et magistri scholarum elementarium, quorum circiter 2000 explanationibus interfuerunt de Associationis natura et de modo eam apte dirigendi. Larga iis praeterea copia ludorum scenicorum subministratur, et apta materia dicendi apud iuvenes, ita ut quovis mense 4.500 eiusmodi scripta directoribus mittantur. Hi proxima aestate ad Exercitia 5 dierum invitabuntur. In seminariis omnium dioecesium sermones habentur de institutione, quibus interfuerunt adhuc 800 clerici. Nunc idem fit praeterea in omnibus scholis, ubi futuri magistri scholarum inferiorum educantur.

**Toti Associationi praeest Pater, qui a 20 viris saecularibus iuvatur.** Hi laborem organizationis et administrationis exsequuntur, honesto salario dotantur et quovis anno sancta Exercitia peragunt.

**Expensae totius operis teguntur** subsidiis a centro Actionis Catholicae, ab Ordinariis aliisque benefactoribus, immo a Gubernio allatis, et pretio illorum libellorum, qui quovis mense Directoribus localibus parvi veneunt. Fiet etiam ut ipsa Associationis membra modicam aliquam contributionem praestent. (E litt. R. P. Somogyi, Provinc.).

## Studia universitaria Nostrorum in Hungaria

Studia secundaria (Gymnasium et Lyceum) octo annis in Hungaria persolvuntur, fierique possunt in quolibet Collegio publico aut privato, quod iure publico fruatur. Examina ab

alumnis subeuntur apud Professores Collegii; quod si postremum quoque prospere superant, statim eis in Universitatem patet ingressus.

Ut Collegium ius habeat publicum, debent eius Professores diploma Magistrorum in Universitate obtinuisse. Id assequuntur Facultatem Philosophicam per quattuor annos frequentantes et examina subeundo de disciplinis, quarum magistri esse cupiunt. Tum, exhibita elucubratione scripta, quintum annum peragunt in aliquo gymnasio, ubi ductu Professoris, docendi artem exercent. Denique superato examine paedagogiae et philosophiae, diplomate magistrorum potiuntur.

Nostri haec studia, finita iam theologia aggredi solent, tumque exercitatione docendi in nostris Collegiis peracta, laurea decorantur.

## Prima christianorum tempora apud Iapones investigantur

Ad prima tempora christianae religionis in Iaponia investiganda, constituta est die festo Sanctorum Martyrum Iaponensium 1939 in Universitate Catholica Tokiensi nova consociatio scientifica, quae duabus de causis necessaria visa est: Quia litterae eo tempore a Missionariis scriptae antiquae Iaponensium historiae magnam lucem afferre possunt; quia catholicis nostri temporis res a maioribus gestae et gloriae cedunt et stimulo, maxime cum ipsi gentiles eas diligenter inquirant. (L'Oss. Rom., mar. 39).

## ASSISTENTIA GALLIAE

### Magnum Opus Sociale Assist. Galliae « L' Action Populaire »

In volumine II Memorabilium (430-436) et in IV (p. 77) commemoratio facta est huius magni operis, cuius pleniorem descriptionem promimus nunc ex Nuntiis Prov. Venetae (I Gesuiti, apr. 39).

Actio Popularis centrum est doctrinae Sociali investigandae, acquirendae, propagandae destinatum, quod fructum sui laboris omnibus apostolatum catholicum exercentibus altro porrigit: Sacerdotibus, membris Actionis Catholicae, opificibus, patronis, etc. Nullos creat aut dirigit sociales coetus, sed paratum est omnes verbis et scriptis iuvare.

**Commentarii pro studiosis.** Inter omnia scripta quae ab Actione Populari prelo mandantur illi commentarii locum tenent primarium, qui *Documenta seu Instrumenta Actionis Popularis* vocantur (« Dossiers de l'Action Populaire »). Bis in mense fasciculi pagellarum 60 vel 70 prodeunt in duas partes divisi, quarum prior doctrinam socialem et oeconomicam proponit; altera scripta praecipua in lucem ab aliis edita nota facit et indicat. — Anno 1933 coeperunt etiam excudi Codicilli *Actionis Religiosae et Socialis* (« Cahiers d'Action Religieuse et Sociale »), ad iuvanda membra Actionis Catholicae. Sub communi involucro folia nonnulla soluta bis in mense distribuunt, quorum singula singulos commentarios utilissimos continent. — *His duobus periodicis adde libros* de re iuridica, sociali, familiari oeconomica, scholastica, qui selectam iam bibliothecam de doctrina sociali Ecclesiae conficiunt.

**Commentarii populares.** Doctrina quae tribus his scriptorum generibus datur, solum indirecte per homines studiosos ad populum pervenit. Ad eum directe attingendum, editur in lucem libellus periodicus *Peuple de France*, imaginibus aptissimis ad populum recreandum et docendum ornatus, commentariis faci-

libus et efficacibus ad eum persuadendum instructus. Ingens numerus exemplarium uniuscuiusque fasciculi (decies centena milia) satis ostendit quanto plausu a totidem saltem familiis excipiatur [1]. — Praeter hunc periodicum libellum, disseminat *Actio Popularis* quamplurima folia, quibus errores impugnantur, quaestiones recentissimae, quae animos populares commovent, resolvuntur.

**Oralis doctrinae diffusio.** Patres *Actioni Populari* addicti saepe verba faciunt apud patronos, ingeniarios, operarios, agricolas; apud Sacerdotes et Sacerdotii candidatos; apud Patres nostros Tertianos, qui singulis annis per aliquot dies in domo *Actionis Popularis* versantur, ut praeclaros illos magistros docentes audiant. — Cursus praeterea regulares dantur in *Schola Normali Sociali* et in *Facultate Studiorum Socialium Instituti Catholici Parisiensis,* quae ipsum P. Directorem *Actionis Popularis* praesidem habet. — Atque hi quidem labores publice et in oculis omnium fiunt. Alii sunt magis occulti, qui nec minorem in Patribus contentionem, nec minorem in aliis fructum gignunt. Innumerae enim illis cotidie consultationes de rebus difficillimis, a viris omnium ordinum, verbo et scripto proponuntur. Quibus omnibus Patres accurate respondent.

In hunc tam magnum laborem 16 Patres incumbunt, qui omnes ramum aliquem specialem scientiae socialis coluerunt. Ephemerides, periodici, libri plurimi, varias et oppositas sententias inter se docentes, ex omni mundi plaga illuc cotidie confluunt, leguntur, iudicantur, probantur aut refutantur.

**Initium huius operis** fecit P. Leroy, qui anno 1903 illud adumbravit, fretus opera scholastici Gustavii Desbuquois (Prov. Campaniae), qui studium Theologiae erat propediem finiturus. Fuerunt quidem initio hominum, etiam catholicorum, impugnationes sustinendae. Sensim eorum opinio mutata est, maxime cum Summi Pontifices *Actionis Popularis* doctrinam laudibus extulerunt.

**Pignus coronae caelestis** habuit quodammodo P. Desbuquois die 8 ianuarii 1939 cum quinquagesimum vitae religiosae annum celebravit. Aderant PP. Praepositi quattuor Provincia-

[1] Hoc libello periodico multi Parochi utuntur, tamquam folio paroeciali. Quattuor illi dumtaxat paginas adiungunt, quae cum sint singulis paroeciis aptatae, earum necessitatibus abunde sufficiunt.

rum Galliae, una cum PP. Directoribus Operum praecipuorum Parisiis florentium, aliisque multis. P. Berne, nomine Jocistarum gratias egit, carissimo Patri, qui primus in Gallia eam scintillam magni facere coepit, unde immensa flamma *Jocistarum* erupit; P. Duchamp, unus ex institutoribus Consociationis Antiquorum Pugnatorum (D. R. A. C.), asseruit Patrem eius Angelum custodem fuisse, cum ideo quod esset res insolita, non sine magno periculo iniri videbatur; P. Sevin commemoravit operam allatam Scutismo catholico cum in Gallia nascebatur; P. Cousineau (Canadensis) 50 Missas obtulit, in omnibus mundi plagis eo die celebratas a Patribus multarum nationum, qui magisterio sociali Patris usi essent. Praeter alios quosdam Patres, gratias egerunt P. Aurel, Instructor Tertiae Probationis, nomine suorum Tertianorum; P. Provincialis Campaniae, nomine suae Provinciae; P. Provincialis Franciae, nomine totius Assistentiae. A. R. Pater Noster humanissimis suis litteris, nomine totius Societatis.

Apicem gratulationibus imposuerunt litterae Emmi. Card. Pacelli, Summi Pontificis nomine exaratae, in hanc sententiam :

Summum Pontificem probare apostolatum Patris Desbuquois eiusque Sociorum, in christiana veritate et doctrina sociali Ecclesiae per Actionem Popularem propaganda; quae si ab omnibus nosceretur et agendi norma haberetur, unionem classium in iustitia et caritate firmaret. Deum rogare, ut, viribus Patri servatis, apostolatum diu producat, ut Actio Popularis, mentes illuminare et animos reverentia in Deum et caritate in proximum accendere perseveret, donec caritas Christi totam vitam socialem pervadat. (Courriers, febr. 39, et Echos, apr. 39).

## Gradus academici in Provinciis Galliae

De modo quo Gradus academici parantur in Provinciis Galliae, ita nos docet P. Leopoldus Béquignon, Rector Coll. et Dom. prob. Lavalliensis:

In duobus cursibus, quos hoc anno Collegium nostrum complectitur, Iuniores sunt 24, e quibus 14 Licentiam parant. Licentia quattuor examina postulat, ore et scripto subeunda, in

litteris graecis, latinis, gallicis et in philologia. Ea Iuniores Parisiis, ad Sorbonnam, subire solent sequenti ordine.

Sub finem primi anni subeunt examen in litteris graecis, ut in eis « Certificatum » obtineant. Sub finem alterius anni in litteris latinis et gallicis, et aliquanto serius in philologia. Candidatus qui felici exitu quattuor pericula superavit (seu quattuor « Certificata » obtinuit), Licentiatus in Litteris (Licenciéès-Lettres) renuntiatur. (Id ipsum plus minusve fit in aliis Iunioratibus Assistentiae Galliae).

## Domus studentium Catholicorum in Gallia

**Domus Studentium Nanceiana** (Nancy). — Ut unum alterumve exemplum harum domorum in Gallia proponamus, illam in primis describimus, quae in urbe Nancy contracto nomine G. E. C. appellatur (*Groupe des Etudiants Catholiques*). In loco urbis amplissimo, prope aedificia Facultatum et Institutorum Chimici et Electrici sita est. Finem habet vitae consulere materiali, intellectuali et christianae Universitariorum.

**Vitae materiali providet** eis hospitium praebens commodum et securum, partim domi, ubi 60 sunt cubicula, simplicia quidem, sed opportunis omnibus ornata, partim apud honestas familias, quae 200 alumnos excipere sunt paratae. Totidem convictorum capax est refectorium, quo fere omnes ab hora 12 ad 13 et a 19 ad 20 bis cotidie conveniunt.

**Ad vitam intellectualem fovendam** in varios coetus distributi sunt: Iuris, Litterarum, Electricitatis, Medicinae, Chimiae, Fodinarum, Agriculturae, Commercii, Pulchrarum Artium. Singuli coetus suas aulas possident cum bibliotheca technica et instrumentis laboris. Singuli sessiones habent quintodecimo quoque die et circulos laboris, quorum fructus in examinibus percipitur. — Labor intellectualis recreatione iuvatur, cui serviunt bibliotheca et aula lectionis et ludorum, hortus, villa parum ab urbe distans, sectio excurrentium, etc.

**Vita denique spiritualis valde in honore est.** Semper adest Servator amantissimus in pulchro domus sacello; semper Superior et Directores animorum aures praebent se consulentibus. Sacrum fit cotidie, quo libere complures accedunt, communi secessu ad Communionem pascha-

lem parantur, ad annua Exercitia peragenda ineunte curriculo invitantur. Sodalitas denique « Union Mariale Apostolique », Conferentiae Sti. Vincentii, aliique coetus sociales et Actionis Catholicae eos parant ad vitam apostolicam ducendam.

**Convictus Andegavensis** (Angers), a Facultate Theologica illius urbis conditus et administratus, hospitium praebet multis alumnis eiusdem Facultatis et nostri Instituti Agronomici. Subest moderationi et directioni spirituali nostrorum Patrum, qui opera christiana et socialia in eo fovent. Vide, sis, reliqua in Memorab. V. 40.

**Domus Studentium Lugdunensium (Maison des Etudiants Catholiques - M. E. C.)** Hospitium aliunde venientibus tum ipsa praebet, tum apud honestas familias, quo beneficio circiter 250 utuntur; epulari in ea volentibus coenaculum parat, ubi aliquando plus 400 accumbunt; omnibus patent aulae et bibliothecae, quas visitant cotidie circiter 300 e Facultatibus tum publicis tum catholicis, et ex aliis scholis civitatis.

Ter cotidie in domus sacello Missa celebratur, praesentibus aliquando 80 studentibus; semel in mense ad communem Missam invitantur. Caritatis in pauperes exercendae cupidis duae patent Conferentiae Sti. Vincentii a Paulo. Ad studia promovenda circuli sunt Iuris, Pharmaciae, Odontologiae, Chimiae, Commerci, praeparationis ad Scholas militares, etc. Aliquando plus 35 eorum conventus una hebdomada celebrati sunt, ita ut ad eos continendos aulae non sufficerent. Maxime cum magnam domus partem sibi retineant Iuventus Studentium Christianorum (J. E. C.) et Foedus Lugdunense Studentium Catholicorum, qui 800 numerantur. (Courriers, febr. 39).

**Consociatio Catholica Studentium Algeriensium.** — Haec una cum aliis 50 similibus consociationibus gallicis Foedus Gallicum Studentium Catholicorum constituit; quod, unitum foederibus aliarum 42 nationum, perficit Foedus quod dicitur « Pax Romana ». Consociatio Algeriensis hunc sibi finem proponit, Iuvenes ingenio et moribus praestantissimos sic informare, ut suos aequales dirigere valeant (Elite). Ad eorum intellectum colendum conducunt, praeter Bibliothecam communem, disputationes scientificae, bibliothecae et aulae speciales pro variis studentium classibus. Ad fovendam vitam christianam et apostolicam, sacellum domesticum, Conferentiae Sti. Vincentii a Paulo

et operariorum instructio. Ad vires reficiendas, ludi domestici, excursus et faciliores aditus concessi ad honesta spectacula civitatis.

## Legatus Aegypti Societatis Collegia extollit

Excmus. Dnus. Fakhry Pascia, Legatus Aegypti apud gubernium Galliae, filium habet in nostro Collegio Parisiensi Sti. Aloisii. Hic cum praemiorum distributioni anno 1938 praeesset, luculenti oratione professus est:

« Societatem Iesu, a primis vitae suae temporibus, non cessare, bonos mores et humanum cultum ubique diffundere ... Multos homines scientia et auctoritate praeclaros a Societate educatos Aegyptiorum nationi restaurandae operam dare; quae tametsi Islamismum profitetur, ostium tamen catholicis missionibus patefacit. Se, cum in Hispaniam venisset, voluisse domum natalem Sti. Ignatii visere, cui semper cordi fuisset mahumetanae genti bene facere. Hunc Ignatii amorem erga gentes islamicas floruisse postea semper in Societate ... Ideo se, cum Romam anno 1926 visitaret, Rmo. P. Generali grati animi testimonium tulisse, ab eoque certiorem esse factum inter octo primarios duces militares Galliae, quattuor, in primis Ducem Generalem Foch, educatos esse in Collegiis Societatis. Hoc signum esse nobilissimi spiritus in Societate florentis ». — Postea cum Professoribus et alumnis gratulatus esset, omnibus animos addidit, orationem claudens illis verbis: « Et haec omnia ad maiorem Dei gloriam » (Oss. Rom. 14 iul. 38).

## Cursus generales a nostris Patribus habiti apud Feminas religiosas

**Cursus Paedagogici.** — Multae Congregationes femininae puellis educandis traditae, operam nostrorum Patrum exquirunt, ad suam docendi et educandi rationem nostri temporis necessitatibus aptandam. P. Franciscus Charmot, Praefectus Studiorum in Collegio nostro Isoriensi (Yzeure), tertium iam annum hanc materiem tractat coram Moderatricibus et Magistris Religiosarum Stae. Ursulae, SS. Cordis Iesu et Canonicarum Sti. Augustini. Singulae illae Congregationes suos congressus habuerunt per dies quindecim. Disputabat Pater ante prandium principia statuens, post prandium eorum applicationem proponens. Singulas lectiones sequebatur discussio et difficultatum solutio. Interdiu ipsae Religiosae inter se conferebant, quem ad finem instituti erant circuli pro singulis disciplinis, eo magis utiles,

quo Magistrae ex omnibus Europae regionibus convenerant. Pater cotidie fructum omnium deliberationum collegebat, ut reformationi desideratae fundamentum praeberet. (Courriers, nov. 38).

**Cursus de Actione Sociali.** – - Similem cursum habuit P. Desbuquois de re sociali. Romam venturus erat, ut sedecim de hac re lectiones traderet Religiosis Stae. Ursulae, quae Tertiam Probationem agebant, et menstruum Exercitiorum secessum paulo ante perfecerant. Quo fructus uberior exsisteret, Superiorissa Generalis Stae. Ursulae ceteras religiosas feminas Romae versantes gallicae linguae, invitaverat, quae puellis educandis dant operam. Omnes alacriter responderunt: Religiosae SS. Cordis, de Nazareth, Iesu et Mariae, Dominae Nostrae, etc.; ita ut simul cum 60 Ursulinis (quarum 31 erant Tertianae), aliae 80 Religiosae e 21 distinctis Congregationibus Patrem audirent. Quattuor cotidie lectiones accipiebant, de quibus postea magna inter se caritate sermonem miscebant. Pater Noster pium illum conventum salutatum venit; Emmus. Card. Pacelli, tum Secretarius Status, litteras ad eum scripsit, approbationem Summi Pontificis exprimentes. (Courriers, maii, 39).

**Cursus Infirmariarum.** –– Iam alias de lectionibus egimus a nostris Patribus Religiosis Infirmariis datis. Iterum nunc eiusmodi cursus est paratus ab Emmo. Card. Gerlier, de « Morali Professionali in nosocomiis observanda ». Conventus habitus est in Facultate Catholica Lugdunensi; primam lectionem explicuit P. Riquet, Consiliarius « Conferentiae Laënnec » de « Labore in Nosocomio praestando et de Professione religiosa »; P. Fr. Galtier egit de « Baptismate ministrando »; alii de aliis argumentis. Aderant plus quam 1.100 Religiosae feminae e 60 Congregationibus. Ipsae argumenta de quibus audire cupiebant et difficultates solvendas scripto proposuerant. (Ibid.).

## Pueri Sinenses pacem a Deo implorant

Cum Excmus. Dnus. Zanin, Legatus Apostolicus apud Sinenses, preces puerorum pro pace petiisset, morem illi, Patres nostri Shanghaienses Natalitio tempore, studiose gesserunt. In scholis, in collegiis, in paroeciis, triduanae preces sunt habitae, in quibus corona B. V. Mariae recitabatur, vel ipsis pueris paganis sua sponte praesentibus, ita ut in quibusdam locis 400, 600, 750 pueri enixe rogantes adessent. In Missis Nativitatis Domini, quae in nostro templo Sti. Ignatii et in aliis templis celebratae

sunt, 600, 800, 1000, 5000 Communiones sunt distributae. In oppidum maritimum Daohgkoh naviculae piscatorum plus 500 appulerunt, quorum 1.100 die Nativitatis, 3.600 per eius octiduum sacris dapibus refecti sunt. (Paris Changhai, mart. 39).

### Universitas "Aurora" Shanghaiensis ab ethnicis in honore habetur

Medicus budista Ting-Fou-Pao, admiratione captus eorum quae Missionarii pro victimis belli sinensis adhuc fecerunt et facere pergunt, obtulit Universitati « Aurora » suam copiosam et selectam bibliothecam, quae 25.000 voluminum constat. « Catholici et budistae scimus, dixit, res omnes huius vitae fluxas esse et perituras. Nomen illustre minime quaero; cupio solum ut mei libri aliis utiles esse possint, mihique persuasum est, si eos Universitati dedero, meum consilium expletum iri ». (L'Oss. Rom., 10 maii, 39).

### Missionarius Societatis morte mulctatus

Telegrammate misso die 30 aprilis 1939 nuntius Romam venit, P. Ludovicum Hermand S. I. (Franciae), e Statione Haichow, in Vicariatu Shanghaiensi, die 27 eiusdem mensis, letali vulnere a praedonibus affectum exspirasse. Cum praedones sinenses in oppidum hora secunda noctis irrumpentes, cives percutere coepissent, evigilavit Pater et domo eggressurus, ignita glande visceribus infixa vulneratus est. Tum praedones, domo tota expilata, Patrem Le Bayon, socium Patris Hermand, infirma valetudine praeditum, asino imponentes, terga verterunt.

Statim christiani P. Ioannem de La Largère, proximam stationem colentem, arcesserunt, ut morienti adesset. Accurrit ille subito et ultima illi sacramenta administravit. Frustra duo medici iaponenses eius vitam operatione chirurgica servare conati sunt. Vix eam finierant, hora 11 exspiravit.

Natus erat Pater anno 1873, in Missionem venerat anno 1904, erat sui districtus Vicarius Foraneus, et mortem, quam pro Christo subiit, magna animi demissione in expiationem suorum peccatorum Illi obtulit. (L'Oss. Rom., 10 maii, 39 et litterae priv.).

# ASSISTENTIA HISPANIAE

## Toletana Provincia
## Filios adhuc in patria exsules amplectitur

**Domus recuperatae.** — E litteris datis a R. P. Carolo Gómez Martinho, Provinciali, die 17 apr. 1939, et e folio Prov. Toletanae (maii, 39) hos nuntios sumimus: *Collegium Chamartín*, multum a communistis deformatum et destructum est. Etiam nunc 1.200 militibus et 300 advenis hospitium praebet, quod aequo animo ferimus, ut hanc illis caritatem exhibeamus. Interea Nostri, cum suo Rectore P. Areeo, turrim incolunt in aditu domus, eiusque munditiem et reparationem pro viribus curant. — *Collegium vulgo « Areneros »* (Institutum Catholicum Artium et Industriarum, I. C. A. I.) regendum ad tempus commisi Patri Polavieja. Tum hoc Collegium, tum Chamartin multis tormentorum et velivolarum igniariis globis vexata sunt. Ideo quamquam extrinsecus sat bonam speciem praebent, intus et in cavaedis stragem ostendunt. Machinae omnes (aliquae magni pretii), quas P. del Pulgar aliique Patres, ad ingeniarios et opifices informandos, magnis sumptibus comparaverant et multo tempore et sollertia concinnaverant, ablatae erant vel contritae et divulsae circumquaque iacebant. — *In Domo Congregationum* ad viam Zorilla habitant duo dumtaxat Patres, nondum enim eam reliquit Schola Musicae (Conservatorio) quae illam occupaverat. — *Patres aliqui Residentiae*, quibus Superiorem dedi P. Valentinum Sánchez, in domibus habitant quas ante bellum incoluerant. Alii per alias domos dispersi sunt. Iam vestem religiosam nonnulli sibi compararunt, ceteri nondum potuerunt, deficiente tela, etsi nos aliquam nobiscum attulimus. — *Domus Probationis ad Aranjuez* 5.000 hominum bello captorum continet, qui paulatim, immo sat celeriter, ad suos mittuntur. Interea vix quidquam in ea fieri potest.

**Cultum divinum instaurare coepimus.** — Templum ad viam Zorrilla sat integrum, Dei beneficio, mansit; ideoque fe-

ria V hebdomadae maioris cultus sacer in eo renovatus est. Templum in Chamartín multa quidem est passum, sed vices interea paroeciae gerit, curantibus duobus Patribus et Sacerdote saeculari. Sacellum publicum ad Areneros iam anno 1931 combustum est. Ideo nunc sacellum semipublicum in sacristia paravimus. Interea sat multam supellectilem et nonnulla paramenta e templis nostris abducta recuperavimus. — Murciae marxistae e templo nostro Sti. Hieronymi coenaculum amplissimum fecerant, aediculas omnes laterales parietibus claudentes et altare maius auferentes. Reliquam domum, etsi multum immutatam, in bono statu reliquerant.

**Patres ac Fratres quos mortuos putabamus,** animum revera Deo reddiderunt. Duo tantum Murciae, praeter exspectationem, superstites invenimus: P. Andream Arámburu et P. Franciscum Periago, (de quorum morte nulla adhuc « Memorabilia » verba fecerant). — P. Polavieja optimos animos gerit et magna consilia volvit. — P. Angelus Ayala finxerat e suo se oppido fugisse, ne in maurorum manus incideret, atque ita tesseram marxistarum obtinuerat, qua munitus in hospitio senum versari potuit. — Germani fratres duo, postquam saepe ab una in aliam domum per tecta fugerant, quietam vitam egerunt, ioculos pro pueris fabricando. Alius oppida ut venditor lustrabat. — In urbe Civitate Regali (Ciudad Real) quaedam de morte P. Emmanuelis González nobis renuntiata sunt. Quo die in captivitatem a marxistis ductus est, cum vellent eorum ephemerides hoc factum nuntiare et Patrem probro afficere, aliud de ipso referre nequiverunt, nisi «captum esse Beatificum et Seraphicum P. González », in quo putabant iniuriam illi facere, magnam illi laudem contulerunt. Cum postea ad supplicium ductus est, solita caritate et fervore socios in via est allocutus.

## Victimae communistarum in urbe Almería (Baeticae)

Provincia Baetica sollicita erat, ante plenam Hispaniae liberationem, pro Patribus et Fratribus Residentiae Almeriensis, quae una manebat in potestate perduellium. Ideo ubi primum ea civitas eorum iugum excussit, illuc Superiores miserunt P. Franciscum Xav. Uriarte, qui eorum sortem inquireret. E litteris statim ab eo datis die 3 aprilis 1939, hos nuntios depromimus:

« PP. Luque, Santaella et Payán a communistis occisi sunt. Ceteri vivunt, sed cadavera videntur propter famem, dolores,

carceres et vexationes, quas longum nimis esset referre. Residentia et scholae gratuitae centra nunc sunt sanitaria et antituberculosa. Gubernator Provinciae statim decrevit, ut aedificia nobis quam primum redderentur; hoc tamen, ut par est, aliquid temporis postulat. Templum ita est sordibus et squalore obsitum, ut ad cultum incipiendum etiam aliquamdiu spectare debeamus.

Patres in tugurio vivunt, carent cibo, lecto, culina, libris, paramentis, vino ad Missam celebrandam. Eas dumtaxat vestes habent, quibus teguntur. Si vero animi aequitatem et gaudium videas, quo tam horrendos angores perferunt, non possis quin eorum virtutem mireris. Equidem eos magna animi aedificatione et commotione vidi. Huius civitatis spectaculum tam triste est, terror et vexationes a perduellis incussae tam horribiles, ut saepe lacrymas continere non possem. In tota Provincia plus 5.000 hominum occisa sunt, ea crudelitate, ut nullibi in tota Hispania carnifices illam attigerint ».

Adhuc P. Uriarte martyrium testans nostrorum Patrum, de quo tamen ipse tunc nondum accurate scribere poterat. Audite nunc viciniorem testem. Litteras transcribo a C. F. Cypriano García (Baeticae) ad P. Osborne, die 22 aprilis 1939 datas.

« Notum existimo R.ae V.ae omnes PP. et FF. huius Residentiae captos esse. Cum unum mensem in carcere iacuissemus, in caveam carboniferam cuisdam navis nos deduxerunt, ubi una versati sumus PP. Emmanuel Luque, Martinus Santaella, Alfonsus Payán, C. F. Michaël Garcia et ego. Hic omni puncto temporis mortem sperabamus, illuc enim ibant saepissime inimici hora altera noctis, ut 15 aut 20 captivos *ad excursionem* ducerent. Dominus me noluit glorioso martyrum numero adiungere. Postea intellexi hanc inter inimicos deliberationem fuisse: alii me coquum (laicum) religiosorum putabant, ideoque me occidere recusabant; alii contra, religiosum censebant et morte damnatum volebant. Cum septem menses disceptatio protracta esset, me libertate donarunt, familiaribus meis id diligenter agentibus. Nunc mihi vehementer dolet, quod martyribus non sum adscriptus.

Dicam aliquid de Patribus nostris. P. M. Santaella traductus est cum aliis quindecim in aliam navim, quae prope ripam constiterat, ut eam carbone munirent. Cum ceteri redierunt, homines non videbantur, ita figuram mutaverant; fame consumpti et carbonis pulvere suffocati, se

in caveam ut mortui coniciebant. Cum ad se redierunt, quaesivi a quodam Sacerdote, quid Patre Santaella factum esset. — « Iam eum Deo fruentem puto », respondit. Hi qui cum eo versati sunt narrant, eum primum verberibus affectum esse; postea carnifices eius caput in angustum annulum immisisse, totumque corpus tanta vi per illum duxisse, ut carnis fragmenta circum amitteret. Cum nondum animam efflasset, eum in caldarium coniecerunt, dicentes: « Videte quam magnus coquatur piscis ». Una cum Patre alius Sacerdos similia passus est. Ita Patri Santaella impletum est flagrans martyrii desiderium.

PP. Luque et Payán e navi etiam una educti sunt, magno dolore duorum Fratrum, qui in ea relinquebamur. Eos inertes tulimus, nec enim scalas ascendere poterant. P. Payán in puteo sepultus esse dicitur, in quem plus centum alii coniecti sunt. Patrem Luque (80 annos natum), more militum marxistarum per irrisionem induentes, in oppido « Tabernas » dicto glandibus confecerunt ».

## Ultima regio Provinciae Aragoniae e Marxistarum tyrannide liberata

E quattuor regionibus, quibus Provincia Societatis Aragoniae dicta constituitur (Aragonia, Maiorica, Catalaunia et Valentia), insula Maioricensis et pars Aragoniae semper in potestate Hispanorum manserunt; Catalauniae restitutionem descripsimus; restat ut de Fratribus et Domibus regionis Valentinae nuntios aliquos demus, quos e litteris Patris Socii et Patris Barquero desumimus.

**Primus in urbem ingressus.** — Die 29 martii post prandium, tres velivolae machinae supra urbem, demisso cursu, nemine impediente, volitarunt. Paulo post in summa turri templi principis album vexillum sublatum est, quod cito vexillo nationali locum cessit. Id civitatem totam ita commovit, ut cives, tamquam si horribilem somnum excussissent, foras in vias prorumperent, cunctaque aedificia, sollemnissimorum instar dierum, aulaeis, colores nationales ostentantibus, ornarentur. Multi extra civitatem, per viam stratam, Saguntum properarunt, ut militibus nationalibus obviam irent, qui tamen ingressum in urbem in diem sequentem distulerunt. Quamquam civitas totam illam noctem sibi relicta est, perfectus in ea ordo regnavit. Interea boni omnes, qui etiam tunc in carcere iacebant, libertate donati sunt.

Altero die, 30 martii ante meridiem, exercitus, sublatis vexillis et magna omnium exsultatione, in urbem incessit. Inter ceteras cohortes ibat Phalanx Valentina, honorificum comitatum praebens pulcherrimae imagini B. V. Mariae Desertorum (Patronae Valentiae), quam in hunc

diem sibi comparaverant. Hoc eodem die Valentiam ingressi sunt PP. Socius, Villalonga, Tarré, Just, Giménez R. et C. F. Ferris.

**Nostri superstites.** — Facile capitur eorum animi commotio, cum urbem ingrederentur, nescientes quos in ea Fratres et qua animi et corporis condicione eos inventuri essent. Sensim ac pedetentim maximam partem superstitum invenerunt: Patrem León, qui vices Rectoris gerebat post occisum P. Simón, et quamquam 20 menses in carcere versatus erat, satis bene valere videbatur; PP. Pastor et Puche, qui paulo ante exiverant e carceribus Valentino et Lucentino; quorum alter in suo Patronatu iuvenum opificum rursus versabatur; de utroque multa dici poterant, propter meritissimum laborem quem per totum hoc tempus pro Nostris peregerunt. Paulo post venerunt P. Cyriacus Tort, qui quandiu in carcere versatus est, matrem suam amiserat; P. Doménech Vincentius, qui multa praeclara gesserat, oppida bicyclo percurrens, ministeria exercens et vocationem selectorum iuvenum colens, quos cito in Noviciatum venturos esse speramus; C. F. Orengo, qui specialem mentionem meretur, propter suam diligentiam et caritatem erga Nostros, praesertim aegrotos aut in angustiis positos; Schol. F. Roldán, qui multa narravit de suis casibus apud perduelles, quos ab initio belli sequi coactus est, et ubi tanta Dei providentia est custoditus. Venerunt denique alii multi, quorum nomina omittimus, ut ad victimas communistarum properemus.

Liceat tamen casum narrare P. Iosephi Iñesta, quoniam iterum occasio opportuna non occurret. Hic Pater, magno studio animarum praeditus, est in tota regione Valentina maxime notus et carus, propter suas missiones populares. Cum ab eo perduelles in tribunali quaesissent essetne Sacerdos, ille iocans — « Multo magis », inquit. Quod, si mentes eorum spectes, sonare volebat: « Sum aliquid multo peius ». — « Episcopus? ». — « Peius etiam ». — « Quid es igitur? ». — « Iesuita ». — « Qui talis es factus? ». — « Dicam aperte, inquit. Eram ego vir pigerrimus: vocabar ad confessiones audiendas, et pigritia retinebar; vocabar ad contionandum, et ire pigebat. Tum venit in mentem: Infernum est, animam habeo, damnabor, nisi meum Sacerdotis officium implevero. Nihil mihi restat, nisi ut religioni adhaeream, quae me multum laborare et vitam in magnis sacrificiis agere cogat. Ideo Iesuita factus sum ». — Haec omnia vulgari sermone dicebat Pater, tam aperte et festive, ut animos mollire videretur. Carcere tamen damnatus est. Ad quod Pater iterum hilari vultu: — « Gratias ago quam maximas ». — « Cur enim? ». — « Quia

domum non habebam, ubi habitarem, nec cibos quibus alerer, et in his omnibus mihi consulitis ».

**Communistarum victimae.** — Omnes quos in superioribus catalogis inter communistarum victimas recensuimus, etiam illi quorum mortem non omnino asserere audebamus, revera sanguinem pro Christo effuderunt. Eis adnumerandi sunt P. Darius Hernández, Praepositus Domus Professae, qui die 29 sept. 1936 e carcere eductus, nullum sui vestigium reliquit. Aliquis eius cadaver, multis sclopeti vulneribus in ore susceptis se vidisse testatur. — P. Angelus Armiñana in carcerem Lucenti coniectus, P. Narcissus Fuentes e domo per vim raptus, P. Iosephus Palacio, P. Aloisius Perera, CC. FF. Catharinus Abril et Iosephus Fabregat primis belli diebus e vivis sublati sunt. P. Vincentius Guimerá cum Ioachimo fratre Sacerdote occisus est.

**Status Domorum nostrarum.** — *Domum Professam Valentinam* perduelles quidam aliunde venientes suarum familiarum perfugium fecerant, ita ut in singulis eius cubiculis integrae familiae sedem haberent. Domum ita sordibus et squalore foedatam reliquerunt, ut Nostri diu ab ea abstinere cogantur. — *Templum SS. Cordis* Domui Professae vicinum altare princeps amisit cum omnibus eius imaginibus. Ablata est etiam imago Immaculatae Conceptionis B. M. V., picta a celeberrimo Juan de Juanes, sed cito recuperatum iri speratur. Reliqua in hoc templo sat bene servata sunt, quippe eo utebantur hostes pro bellico armamentario. Ubi Nostri Valentiam venerunt, congesta in eo erant 160 centena milia capsularum glandivomarum, quae ubi primum remota erunt, cultus in templo renovari poterit.

*In Domo Exercitiorum* sedem habuerant consiliarii bellici imperatoris marxistae, qui ex ea castrum fecerant, spinosis retibus ferreis ceterisque munitum. Nunc bello captis et militibus nationalibus tectum praebebat. — *Collegium Sti. Ioseph* in duas partes a marxistis distributum erat: una gymnasium mixtum pro 500 pueris et puellis, altera scholam communismi pro opificibus continebat. Amplum et pulcherrimum sacellum alumnorum acervus ruderum ab efferatis hominibus factum erat. Cetera mutaverant prout ipsis placuerat. — *Aedificium in quo scholas gratuitas* pro 600 pueris habueramus, cito suo munere iterum fungetur.

**Gandiae** occisae sunt 120 victimae, quas inter PP. Siljar et Carbonell, CC. FF. Gelabert et Grimaltos et decem Sacerdotes. E quattuor templis quae urbem honestabant, templum princeps gothica forma constructum, in quo S. Franciscus Borgia lustrales aquas acceperat, ita combustum est, ut nigros eius muros exstinctam fornacem esse dixeris; presbyterium solo aequatum est, ad viam publicam ampliorem faciendam; cetera sic diruta sunt et aperta, ut ingentis tugurii imaginem praebeant. Templum Sti. Iosephi erasum et complanatum viae publicae locum cessit. Templum Bti. Hibernonis, etsi combustum, poterit tamen paroeciae vices agere.

**Domui Sti. Francisci a Borgia** pepercerant inimici, ut eam suis finibus applicarent. In templo altare et imagines ceteraque omnia destruxerunt, organum diripuerunt; antiquum aedificium satis immune reliquerunt, novum ita mutaverunt, ut suis usibus aptius fieret, domus vicinas Societatis proprias diruerunt, hortum devastarunt et omnibus pervium fecerunt. Sospites Gandiae inventi sunt PP. Vicedo, Parres, Robertus Costa et C. F. Antonius López. Hi subito in templum se contulerunt, ubi, coram altari raptim exstructo et imagine Crucifixi ornato, caerimonias omnes Hebdomadae maioris peregerunt, et antiquum morem Horam Sanctam Eucharisticam cotidie celebrandi post dies paschales instaurarunt.

## Catalogus Patrum et Fratrum Assistentiae Hispaniae qui sanguinem pro Christo effuderunt ab anno 1934

### E Provincia Aragoniae

PP. Accensi Ismaël
Arbona Bartholomaeus
Armiñana Angelus
Audí Franciscus
Ballesta Iesus
Basté Narcissus
Beamonte Ioannes Paulus
Berdún Emmanuel
Bertrán Paulinus
Boguñá Aloisius
Bori Paulus
Carbonell Constantinus
Carrió Andreas

PP. Casanovas Ignatius
Cots Felix
Ferragut Iosephus Ant.
Ferreres Ioannes Bta.
Fuentes Narcissus
Guimerá Vincentius
Hernández Darius
Juan Martínez Ios.
Mañes Emmanuel
Martínez Braulius
Mendoza Michaël
Miró de Mesa Petrus
Muñoz Iosephus

PP. Noguera Iacobus
Palacio Iosephus
Pardo Michaël
Perera Aloisius
Peypoch Emmanuel
Romá Iosephus
Rovira Ioannes
Simón Alfredus

PP. Sitjar Thomas
Tena Franciscus Xav.
Trullás Petrus
Valentí Ioachimus
Vendrell Raimundus
Vergés Iosephus Ant.
Vives Iosephus Maria
Zurbitu Demetrius

CC. Abril Catharinus
Andrada Ioannes Bta.
Boix Thomas
Codina Raimundus
Conti Iosephus
Darder Emmanuel
Fabregat Iosephus
Fonfría Vincentius
Frasno Thomas
Gelabert Petrus
Grimaltos Raimundus
Iriondo Philippus
Isla Laurentius

CC. Llatje Iosephus
March Constantinus
Mercader Angelus
Moncho Carolus
Rallo Iosephus
Sales Vincentius
Sampol Iosephus
Serres Iosephus
Simón Iosephus
Tarráts Iosephus
Vila Ignatius
Vives Franciscus

## E Provincia Baetica

PP. Barba Leopoldus
Gordillo Aloisius
Luque Emmanuel
Muñoz Innocentius

PP. Payán Alfonsus
Rodríguez Iosephus B.
Ruiz Pimentel Iosephus
Santaella Martinus

CC. Gabarrón Iosephus
García Molina Iosephus

CC. Jiménez Blázquez Antonius

## E Provincia Castellana

C. Arín Iosephus Emmanuel

## E Provincia Legionensi

PP. del Arco Iosephus
Corral Olegarius
Fernández Augustinus
García Villada Zacharias
González Nemesius

PP. Jáñez Iosephus
Martínez Aemilius
Mayordomo Valentinus
Mayorga Martialis
Ruiz Iosephus

Sch. Ruiz Gregorius
Serrano Nicolaus

CC. Arconada Ioannes Bta. (1)
Mendizábal Iosephus

## E Provincia Toletana

PP. Alegre Jesus Maria
Bonilla Baldomerus
de la Cerda Emmanuel
Fernández Díaz-Masa Emman.
Gómez Hellín Iosephus
González Emmanuel
Juste Martinus

PP. Larí Florentinus
Larragán Emmanuel
Martínez Iesus
Pedromingo Iosephus
Sánchez Oliva Iosephus
Tena Richardus
de Velasco Ignatius

Sch. Ortiz Iosephus
CC. Díaz Augustinus
Elduayen Ignatius
Hernández Ioachimus
Ibarlucea Dominicus
Montero Iesus

CC. Noguera Ioachimus
Palacios Felix
Ruiz Paschalis
Sánchiz Antonius
Valiente Iesus Maria

## Summa universa

| | PP. | Sch. | CC. | Omnes |
|---|---|---|---|---|
| Aragoniae | 42 | — | 25 | 67 |
| Baetica | 8 | — | 3 | 11 |
| Castellana | — | — | 1 | 1 |
| Legionensis | 10 | 2 | 2 | 14 |
| Toletana | 14 | 1 | 10 | 25 |
| Universi | 74 | 3 | 41 | 118 |

## In acie praeterea ceciderunt, ut capellani vel ut infirmarii milites adiuvando:

PP. Ferdinandus Huidobro (Tolet.)
Ioannes Martínez García (Tol.)
Angelus Marticorena (Castell.)
Raimundus Ios. Molina (Baet.)

Sch. Petrus Liaño (Baeticae)
CC. Didacus Aguilera (Baeticae)
Daniel del Olmo (Legion.)

(1) P. Martínez Aemilius et C. F. Arconada Ioann. B. occisi sunt anno 1934.

## Nosocomium Oniense pro militibus vulneratis

Die Sti. Ioseph 1937 amplissima domus Oniensis (Oña), ubi fuerat Collegium Maximum Prov. Castellanae, militibus in bello hispanico sauciatis excipiendis et curandis addicta est. Eius curam spiritualem gesserunt adhuc nostri Patres, tam salutari sanorum et aegrotantium fructu, ut omnibus eam visitantibus admirationem incutiat.

Saucii milites 14.250 nosocomii oniensis caritatem experti sunt, circiter 1000 in eo versari solebant, 94 solummodo acceptis vulneribus succubuere. Eorum curam habent medici 25 sub optimo medico et fervido christiano Dre. Bermejillo; infirmariae 48, famuli 146 numerantur. Patres nostri suam operam aeque in sanos et aegrotos impendendo, mira arte sciverunt christianam laetitiam et caritatem per totam domum diffundere.

Solent, redeunte die, per aulas aegrotantium distributi, preces matutinas alta voce recitare, quas milites omnes alacriter repetunt. Tum ientaculo accepto, omnes simul elata voce Rosarium recitant, aliquantum canunt, nuntios recentissimos audiunt et per breve tempus instructionem religiosam accipiunt, quae saepe repetenda est, ut mentibus haereat. — Ante prandium trina salutatio angelica recitatur, et brevis fit allocutio, qua finita, Frater noster Arámburu, coquus maior, cibos efferre iubet. — Non licet interdiu ludis argentum exponere, nec vino indulgere; impia vero in Deum verba proferre severissima lege est interdictum. Ante solis occasum recitatur iterum Rosarium in sacello et methodica doctrinae christianae explicatio datur. — Ab hora 7 vespertina omnes domi continere se debent.

Caritas et constantia Medici Primarii et nostrorum Patrum efficiunt, ut mira in toto nosocomio regnet christiana felicitas. Nonnulli medici qui religionem adhuc torvis oculis aut despicientibus viderant, cotidie nunc ad S. Mensam accedunt. — Puella Infirmaria quae nuper vita cessit, gratias Deo agebat « quod in nosocomio Oniensi duos annos, perfectam puritatem aspirans, degisset ». — Miles quidam per totam feriam VI hebdomadae maioris cibos capere recusavit; alius pridie Nativitatis coena abstinuit, dicens ea nocte Mariam et Ioseph certo certius non coenasse.

Nuntiatum est quondam 400 saucios hostes venturos esse. Mussitabant milites indignabundi, quod socios habituri essent fratrum suorum

occisores, sed cito animos pacarunt Patres nostri, exemplo summi Imperatoris, qui omnibus libenter succurrebat. Tum venientibus hostibus unus militum obviam ivit et « Confidite, ait, cotidie illud recitamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». — Solent in nosocomio lavari pedes venientium, prius quam decumbunt. Cum igitur Patres desiderium ostenderent, ut octo iuvenes sponte id facerent, ecce octoginta sese obtulerunt. Postea rogarunt, ut aegroti hostes sauciis militibus miscerentur, ut ab eis salutaria monita et instructionem christianam accipere possent. (Nunt. Castell., mart. 39).

## Ministeria apud viros bello captos

Iam aliquoties de hoc Patrum Hispanorum ministerio verba fecimus. Novis tamen ac pulcherrimis nuntiis venientibus, non possumus quin aliquos eorum compendio demus.

P. Emmanuel Martínez (Arag.) ministerium exercebat in campo concentrationis prope Barbastrum, ubi plerumque 4.000, aliquando plus 7.000 captivorum versabantur. Pater eos in campum venientes, miseria, squalore, fame confectos, accipiebat, et, parvis sed necessariis officiis exhibendis, amicos sibi reddebat. Cotidie de rebus fidei aut morum (de Deo, de Jesu Christo, de Ecclesia, de Sacramentis, de ordine sociali) coram conferta turba duorum milium, quantum poterat perspicue et eloquenter, verba faciebat, et invitatis cotidie quibusdam ad lectionem repetendam, sibi persuadebat eam bene perceptam esse. De iisdem materiis libellos et folia, eo fine exarata et excussa, gratis aut parvi distribuebat; bibliothecam libris et foliis periodicis instruxit; bis in hebdomada 25 aut 30 selectiores in circulo studiorum congregabat, in quo, ab eis rogatus, Encyclicas « Casti Connubii », « Rerum Novarum » et « Quadragesimo Anno » explanavit.

Missa in cavaedio diebus dominicis celebrabatur, in qua 100 sacrae mensae accumbere solebant, Rosarium, tum in valetudinario tum in cavaedio, cotidie recitabatur, eique circiter 200 libere accurrebant. Homines 30 ad primam Communionem, unus ad baptismum parati sunt.

Ad animos reficiendos et levandos coetum artificum collegit (« Grupo artistico »), cuius munus esset semel in hebdomada folium graphicum edere (« Periódico mural »), res per hebdomadam actas imaginibus illustrans. Quae undique e foliis periodicis collectae in magno folio componebantur et muro affigebantur, tanta arte et venustate, ut duces campum visitantes eius folii imagines photographicas habere cuperent. Pater singulis hebdomadis periodici materiam designabat. Tres alii artificum

coetus canendo, vel instrumentis musicis pulsandis, vel scenicis fabulis exhibendis dabant operam. Singulis hebdomadis circiter 200 captivi domum liberi dimittebantur. (E litt. priv.).

Hic campus eo facilius colebatur, quod viri in eo custoditi nondum operae ulli praestandae addicti erant, poterantque Patrem interdiu audire et consulere. Difficilius colitur prope Bilbaum illa quae dicitur « Cohors fossorum » (Batallón de trabajadores Mineros).

PP. Iesus Iturrioz, Florentinus Ogara, Elutherius Elorduy (Castell.), Professores Coll. Max. Durangensis, theologiae docendae laborem temperant cum labore catechistico apud captivos, fodinis excavandis adscriptos. Hi quamdiu labore vacant, tribus campis concentrationis continentur. Huc accedunt illi Patres die sabbato sub vesperum, doctrinam christianam et vitam divini Servatoris per integram horam, adhibitis saepe luminosis imaginibus explicant. Tum cibo ante coenam benedicunt, eaque finita, modo magis amoeno et familiari, legendo, narrando, sanam doctrinam impertire pergunt, imaginibus illustratam.

Die dominico Missam celebrant et homiliam dicunt, viros docent et hortantur ut elata voce precentur, ad vanum hominum timorem conculcandum. Postea vel per se vel per Sanctimoniales catechistas, doctrinae explicationem repetunt. Libellos pro opportunitate copiose distribuunt. (Nunt. Castell., mart. 39).

Fieri non potest ut omnia complectamur, quae de ministeriis Nostrorum in carceribus a Nuntiis Provinciarum referuntur. Accipite modum, quo in antiqua nostra Universitate Bilbaensi (Deusto) homines carcere detenti parati sunt, ut praecepto paschali satis facerent. Quo facilior et efficacior esset labor, eorum Capellanus, P. Aguirreolea, quinque eorum coetus fecit, et pro singulis missiones paravit. Contionatores fuerunt, praeter ipsum Patrem, PP. Arístegui, Colina, Vidaurrázaga et Ogara. Confessiones habitae sunt optimo successu. Animis iam apte dispositis per contiones missionum, et congregatis multis Confessariis (aliquando e solo Coll. Durangensi 12 accesserunt) Missionarius orationem habebat, ut suos homines ad confessiones immediate pararet. Tum eos invitabat, ut ad Confessarios, iam in ipso sacello expectantes, qui libere vellent, accederent, ceteri pedetentim abirent. Maculas animi purgarunt circa 5.500, id est 95%.

Ipse P. Aguirreolea 158 incommunicatos sibi reservavit missione excolendos, tanto eorum fructu, ut unus dumtaxat a confessione abstineret. Hoc, ut dixi, tamquam exemplum accipite, est enim incredibile, quantum Nostri in hoc genere praestiterint.

## Domus Universitariae Provinciae Legionensis

Prov. Legionensis duas regit domos pro iuvenibus, qui Universitatem frequentant: unam pro internis Vallisoleti, in Hispania; aliam pro externis Habanae, in insula Cuba. Domus Vallisoletana vicina est Universitati, Collegio nostro et Sodalitati Marianae. Eam conduxerunt antiqui nostri alumni, qui eius administrationem temporalem retinent, ita ut unus Pater sufficiat ad eam gubernandam et ordinem tuendum. Alius Pater statutis temporibus illuc accedit, ut instructionem religiosam et directionem spiritualem iuvenibus impertiatur.

Candidati quidem quamplurimi aditum petunt, sed paucis omnino conceditur. Illi solum admittuntur, qui tanto pollent ingenio et virtute, ut futuri catholicorum duces esse videantur. Ad hanc accuratam selectionem sedula accedit institutio religiosa et scientifica, et sufficiens libertas, ut facilis vita convictorum fiat. Missae intersunt cotidie domi, vel in proximo sacello Congregationis: tempus ante prandium pene integrum in Universitate traducunt; post prandium domi student soli vel cum repetitoribus, instructionem religiosam audiunt, et ambulatum per duas horas libere veniunt. Post coenam Rosarium recitant, nec domum amplius relinquunt. (Charitas, iul. 38).

In urbe Habana P. Rey de Castro coetum universitarium dirigit, quem 130 iuvenes complent. Domum habent prope Universitatem, ubi pietatis opera exercent, in studia incumbunt, bibliotheca utuntur, repetitiones habent, etc. A P. Directore apologeticas lectiones audiunt, et vitam spiritualem mirabilem ducunt. Suburbium civitatis apostolico fervore colunt, et ceteris suis Universitatis condiscipulis palmam in studiis praeripiunt. (Charitas, iul. 38).

## Summa ministeriorum Prov. Castellanae tempore Quadragesimali 1939

Missiones et Exercitia publica universo populo: 42.

| Exercitia publica per classes | Cursus | Exercitantes |
|---|---|---|
| pro viris | 44 | 13.410 |
| pro incarceratis | 24 | 30.695 |
| pro adolescentibus | 16 | 1.072 |
| pro pueris | 16 | 3.433 |
| pro matronis | 48 | 6.405 |
| pro famulabus | 23 | 5.473 |
| pro puellis officinarum et officiorum | 14 | 960 |
| pro puellis generatim | 32 | 2.356 |
| pro aegrotis nosocomiorum | 10 | |
| pro militibus in postrema acie | 9 | |
| *Exercitia clausa* | | |
| Pro viris | 9 | 191 |
| pro iuvenibus | 10 | 227 |
| pro feminis | 4 | 164 |
| Summae universae | 258 | 64.386 |

Etsi Patres huius Provinciae tempore Quadragesimali 258 cursus direxerunt, numerum Exercitantium non dederunt, nisi pro 135 cursibus. Si etiam pro aliis 123 dedissent, summa omnium Exercitantium certe 150.000 superasset. Numerus captivorum qui sacram communionem acceperunt in 17 cursibus fuit 15.137 (Nunt. Cast. maii, 39).

## Summa aegrotorum qui in valetudinario Wuhuensi a C. F. Otaegui curati sunt

| | | | |
|---|---|---|---|
| Annis 1925-1929 | 98.820 | 1934 | 53.820 |
| 1930 | 18.788 | 1935 | 60.902 |
| 1931 | 38.670 | 1936 | 58.500 |
| 1932 | 45.035 | 1937 | 69.213 |
| 1933 | 45.234 | 1938 ian.-iul. | 29.354 |

Summa universa 518.336

## Missionarii Ankinenses in captivitatem ducti

Diebus 17 et 19 ianuarii quattuor Patres, unus Coadiutor et quattuor Catechistae Missionis Ankinensis, a militibus sinensibus in captivitatem ducti sunt. Cum Excmus. Vicarius Apostolicus, Dnus. Fridericus Melendro, supremos eorum duces, ad eorum libertatem assequendam, convenisset, similem paenam subiit. Die 5 febr. unus e Catechistis occisus occubuit, quia belli victimis diligentissime subveniebat. Mense aprili alii tres Patres captivorum numero erant annumerati, nec ulla tantae vexationis causa, praeter communistarum insidias cernebatur. — Iam periculum imminebat, ne omnes in altos montes ducerentur, iamque Excmus. D. Melendro suam vitam Deo pro suis carissimis Missionariis ac Fratribus obtulerat, cum die 2 maii nuntius in hanc Curiam telegrammate missus pervenit, Missionarios omnes in libertatem esse vindicatos. Hi fuerant, praeter Excmum. Dnum. Melendro, PP. Iosephus Crespo, Gaspar Carro, Donatus Canal, Zacharias Hidalgo, Angelus Ríos, Benedictus Pérez, Emmanuel Serapio et C. F. Antonius Aguirre.

# ASSISTENTIA ANGLIAE

## Domus Studiorum Londinensis Bti. Roberti Southwell

Magnum Provinciae Angliae ceterisque Provinciis fert adiumentum domus Londini aperta, sub titulo et patrocinio Bti. Roberti Southwell. Cupiebat R. P. Provincialis, Henricus Keane, duplici desiderio Emmi. Card. Bourne et A. R. Patris Nostri morem gerere: maiorem catholicis influxum in Universitate Londinensi tribuendi, et domum condendi, in qua Nostri studia academica maiore commodo conficerent.

Usque ad illud enim tempus Nostri, qui talia studia sequi volebant, vel in Collegio Heythropensi residebant, ubi lectiones Universitatis per tabellarios accipiebant; vel in domibus civitatis erant distributi, cum magna temporis et ordinis domestici iactura. Ideo P. Provincialis anno 1933 domum conduxit pro Nostris Universitatem frequentantibus, quae tribus Patribus et quinque Scholasticis sufficiens videbatur.

Eius autem incolarum numerus tam cito crevit, ut essent

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| anno 1933-34 | PP. 3 | Sch. 5 | | anno 1936-37 | PP. 10 | Sch. 11 |
| » 1934-35 | PP. 5 | Sch. 7 | | » 1937-38 | PP. 11 | Sch. 12 |
| » 1935-36 | PP. 8 | Sch. 11 | | » 1938-39 | PP. 17 | Sch. 17 |

Crescentibus igitur angustiis loci, novae domus, non sine incommodo conducebantur, donec anno 1937 domus cum campo empta est, quae convenienti modo ampliata, sedem commodam 40 studentibus praebere potest. In ea versantur hoc anno studentes 34, quorum 18 Angli, 7 Americani, 2 Germani, 3 Hispani, singuli e Belgio, Bohemia et Polonia.

Disciplinae excultae sunt ab anno 1933: Litterae classicae, sanscritae, anglicae, gallicae, historia, mathesis, physica, chimia, biologia, botanica, oeconomia, sociologia, educatio, philosophia, religionum comparatio, archaeologia.

Incolae huius domus studia academica magna cum laude plerumque peregerunt. Nonnulli enim non modo titulum Magi-

stri aut Doctoris cum honoribus adepti sunt, sed argenti summam meruerunt, vel ad munus docendi fungendum sunt invitati. Mense iulio 1938, cum Dnus. Allen Mawer, Universitati Praepositus (Provost), Concilium omnium Facultatum alloqueretur, professus est « Se libentissime testimonium reddere pretiosi, immo inaestimabilis adiumenti Scholae Archaeologicae a P. Heithaus S. I. adlati, cuius opus, acumine et novitate conspicuum, dignum esset quod omnes grato animo prosequerentur ».

Quibus rebus gestis, inceperunt iam Nostri optimum Societati nomen in Universitate facere; religionem catholicam nonnulli iuvenes melius cognoscere student; Professor quidam auxiliaris in catholica castra venit, alii se nostris studentibus benevolos et cupidos eos iuvandi exhibent. (Letters and Notices, iul. 38).

## Gratus animus Collegiorum Belgii erga SS. Pontificem Pium XI

Gratus animus alumnorum nostrorum in Prov. Belgica Meridionali curam demonstrat, qua Societas amorem Summi Pontificis suis alumnis infundere conatur. Libellus menstruus « Echos » (apr. 39) pulcherrimum exhibet huius grati animi specimen, omnia recensens quae in Collegiis Sti. Michaëlis, Sti Servatii, Godinnensi, Namurcensi, Perviensi, Montensi, Caroloregiensi peracta sunt, quae nos, ad repetitiones vitandas, compendio dabimus.

In omnibus nostris ecclesiis Missa sollemnis, adstantibus alumnis, celebrata est; quorum praeterea delecti manipuli Missis in suis templis paroecialibus celebratis, nomine Collegiorum adfuerunt. Praeter haec communia, multa in singulis Collegiis, pro alumnorum pietate et ingenio, peracta sunt.

**Suffragia.** Consociationes Jecistarum in Collegiis Sti. Michaëlis et Godinnensi Missam specialem pro Papa Actionis Catholicae celebrari voluerunt, in qua de S. Mensa participes fuerunt. Idem peregerunt Cruciati Eucharistici in Collegiis Sti. Michaëlis et Montensi. — In Collegiis Sti. Servatii, Namurcensi, Verviensi alumni sua sponte Iesum in Via Crucis comitati sunt. — In Collegiis Caroloregiensi et Verviensi, dum sollemne Sacrum fiebat, alumni aliquot, uniformi veste induti, cenotaphium



Imago B. V. Mariae, qua S. Franciscus a Hieronymo in Missionibus utebatur. (*Cfr. pag. 118*)



Domus Tertiae Probationis Auriesvillensis, Marylandiae-N. E.
(*Cfr. pag. 156*)



Sacellum Domus Tertiae Probationis Auriesvillensis (*Cfr. pag. 156*)

circumdabant, vexilla tenentes Summi Pontificis, nationis Belgicae, Collegii, Jecistarum et Cruciatorum. -- Namurci Russici Convictores « Sti. Georgii » Liturgiam Byzantino ritu celebrarunt; praeterea eorum sex, quorum quinque erant orthodoxi, exsequiis in Cathedrali Ecclesia celebratis, convictus vexillum tenentes, interfuerunt.

**Conferentiae et Ostensiones.** Ad pietatis stimulos iuvenum animis addendos, praeconium desiderato Pontifici verbo et scriptis tributum est. Praefectus Collegii Godinnensis scholas singulas adiit, ut obitum Summi Pontificis nuntiaret; ad Stum. Michaëlem Professores omnes de eo verba fecerunt; in Collegio Verviensi ipse P. Rector orationem funebrem texuit, alibi alii Patres Summum Pontificem laudibus extulerunt. In variis Collegiis Jecistae, Cruciati, Scholae maturiorum iuvenum circulos habuerunt, in quibus de vita et electione Pontificis, de Pontifice Missionum, de Pontifice Actionis Catholicae disputarunt. In Collegio Montensi Scena choralis exhibita est sub titulo « Cruciati Pontificii ».

Ad memoriam Summi Pontificis alumnorum animis altius inserendam, valuerunt etiam graphicae quaedam illustrationes: Ad Stum. Michaëlem memorialis libellus distributus est omnibus. Ibidem et in Collegiis Godinnensi et Montensi, undique collectae imagines Summi Pontificis et ephemerides ac libelli eius mortem et laudes divulgantes exhibitae sunt, immo in Collegio Namurcensi alumni integrum fasciculum folii periodici ab eis conscripti Summi Pontificis memoriae retinendae dicarunt.

## Societas Scientifica Bruxellensis

Nixa illo principio « Nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest », constituta est haec Societas (La Société Scientifique de Bruxelles) anno 1875, ad homines fide catholica et rerum naturalium eruditione praestantes arcte inter se devinciendos, ceterosque a falsae scientiae erroribus avertendos. Primus eius Secretarius generalis, ac simul totius Societatis promotor et ductor, fuit P. Ignatius Carbonnelle, vir ingenio clarissimus, linguarum peritissimus, matheseos et philosophiae cultor insignis, acerrimus, diligens, hominum eruditorum amicitia et admiratione gaudens.

Huius Societatis membra ter in anno conveniunt, ut suas elucubrationes exhibeant, quae postea in Societatis « Annalibus », una cum oratione in conventu habita, typis mandantur. Earum edita sunt adhuc 58 volumina. Simul autem periodicus libellus editur « Revue des Questions

Scientifiques », qui quaestiones scientificas maximi momenti nostro tempore agitatas, graviter quidem et luculenter, sed ad captum cuiusvis hominis generali eruditione exculti proponit. Eius data sunt adhuc 112 volumina. Tanti aestimatur, ut 385 alia folia periodica cum eo permutentur. Quare vix dici potest quantum illa consociatio eiusque periodica ad errores dissipandos et ad fiduciam in animis bonorum confirmandam valuerint.

## Domus Studiorum Hiberniae
## Dublinense Coll. Rathfarnham

Huius studiorum domus clarissimam accepimus descriptionem ab eius P. Rectore, P. G. Kennedy, die 18 oct. 1938 conscriptam, quae sic se habet:

« Cum exigatur nunc a nostris candidatis, priusquam Noviciatum ineunt, ut Matriculationis (Lycei, Baccalaureat) examen subierint, facile possunt Iuniores gradum consequi in publica Universitate Dublinensi. Omnes tres annos impendunt in parandam Bacalauream Artium aut Scientiarum (B. A. Bachelor of Arts, B. Sc. Bachelor of Sciences). Nonnulli eorum, qui primos locos obtinuerunt et Honoribus primae classis (First Class Honours Degres) insigniti sunt, remanent in Collegio, ut deveniant Magistri Artium aut Scientiarum.

Singuli, e Superiorum mandatu, varias colunt disciplinas, pro eorum aptitudine et propensione et pro necessitatibus Provinciae et Collegiorum: Linguas classicas, Mathesim, Physicam, Historiam, Studia Celtica, Oeconomiam. Plerique persequuntur eos gradus, qui mixti dicuntur: Linguae latinae et hibernicae, latinae et anglicae, latinae et gallicae, latinae et historiae; quae omnia aliter inter se componi possunt. In fine primi anni omnes examen subeunt in quinque disciplinis, quarum una est lingua latina. Huius examinis exitus ostendit, quae disciplinae sequentibus annis a singulis colendae sint.

Hoc anno in examinibus ad lauream consequendam, iuniores duo facti sunt Magistri Artium, unus in Educatione cum Honoribus primae classis; alius in Historia cum Honoribus secundae classis. Praeterea 18 Bacalauream Artium obtinuerunt hoc modo: — 3 in litteris classicis (latinis et graecis) obtinuerunt 1$^{m}$, 2$^{m}$ et 4$^{m}$ locum, duo cum Honoribus primae classis, unus secundae classis. — Simili successu laurea cincti sunt 10 in gradibus mixtis, 1 in Oeconomia, 1 in Studiis celticis, 3 in Physica mathematica.

Commoda horum studiorum in Universitate haec censeri possunt: Primum quod necessaria sunt pro nostris Collegiis. Se-

cundum quod Collegia, quae numerum habent a Gubernio praescriptum Magistrorum titulo ornatorum, subsidium ab eo accipiunt, sine quo non possent competitorum vim sustinere.

Praeterea omnes Sacerdotes saeculares regionis nostrae gradum academicum possidere debent. In Semin. Maynoth nemo Theologica studia inire potest, quin prius lauream obtinuerit in Universitate publica. Iam vero non decet Sacerdotes e familiis religiosis minore eruditione ornatos esse quam saeculares.

Simul autem fatendum est, secundum quasdam rationes, meliorem fuisse formationem quam Iuniores nostri in domo propria accipere solebant. Melius instituebantur in disciplinis traditione acceptis, et paratiores ad studia philosophica et theologica accedebant. (E litt. R. P. Kennedy, Rect.).

## Zelus animorum in Missione Hongkonensi

Cum in superiore fasciculo (72-73) praeclara nobis narrarit P. Socius, idemque Relator Memorabilium, Prov. Hiberniae, de caritate Nostrorum et Alumnorum in Missione Hongkonensi, alios praeclaros nuntios audite, quos e litteris P. Dan. Donnelly, Relatoris Missionis delibamus.

In fine mensis novembris magnus factus est fugientium incursus in territorium Hong-Kong. Tria castra illis excipiendis quamprimum extra urbem aperta sunt, quorum cura, ab initio et per totum fere mensem decembrem, alumnis scholae superioris collegii Wah Yan, sub directione Praefecti Studiorum, P. Donnelly, commissa est. Brevi temporis spatio plus quam tria milia hominum in his castris refugium invenerunt; postea, nonnullis domum reversis, duo fere milia manserunt. Alumni summa cum dexteritate et caritate munere suo functi sunt; consolabantur infirmos, capillos tondebant, pueros erudiebant, magna eos patientia audiebant; ita ut omnes miraremur, nec semel vox audita sit dicentium, alumnos collegii Wa Yan optime omnium hoc officium caritatis erga cives afflictos praestitisse.

Nihil igitur mirum est, Deum huic Collegio magnopere esse propitium. Hoc uno anno 600 novi alumni eius ingressum petierunt, multique alumnorum ad veram religionem trahuntur. Quadraginta quinque eorum nomina, labente anno 1938, in li-

bro baptismatum Collegii inscripta sunt. Inter baptizatos inveniuntur etiam quidam ex professoribus laicis. Cum anno 1932 collegium dirigere coepimus, perpauci fuerunt professores laici catholici, nunc autem longe maior eorum pars religioni catholicae adhaeret. Anno 1938 successus in examinibus publicis ampliores fuerunt, quam umquam antea fuerant. Nostrum collegium inter prima regionis numeratur.

De auxilio quod Seminaristae belli victimis attulerunt in fasciculo praecedenti verba facta sunt. Eorum vita, decurrente anno 1938, vera vita sacrificii et fervoris fuit. Delegatus Apostolicus, Exc. D. Marius Zanin, aliquot dies in Seminario commoratus, se spiritu et fervore alumnorum valde contentum professus est.

In Convictu universitario Ricci Hall, labente anno 1938, capita supposuerunt salutari aquae domestici septem, alumni duo. Plures alii domum reversi, P. Superiori scripserunt se velle instructionem perficere et quam primum baptizari.

De Schola linguae Sinensis quid dicere possum, nisi labores impigros, ad hanc linguam occidentalibus difficillimam addiscendam, susceptos et quidem felici successu coronatos? Multos enim nunc habemus scholasticos, qui non tantum mentem suam exprimere modo quodam imperfecto sed revera cum facilitate loqui et contionari possunt.

# ASSISTENTIAE AMERICAE

## Domus Exercitiorum Mount Manresa
## in Prov. Marylandiae-N. E.

P. Terentius J. Sheahy instituit 30 abhinc annis Neo-Eboraci Consociationem Laicorum, ad promovenda Exercitia Spiritualia et Studia Socialia (« Laymens League for Retreats and Social Studies »), eo fine ut novi homines fierent ad imitationem Hominis-Dei, qui eius doctrinam ad vitam politicam, socialem, oeconomicam applicarent. Tametsi totum illud opus ille solus promovebat, Schola Socialis multum floruit quamdiu ille vixit; cum vita cessit, Schola etiam Socialis interiit. Non fuerat autem inutilis. Ut granum frumenti cadens in terram, mortuum resurgit, ita post eius occasum exstiterunt aliae Scholae Sociales, quas in superiore fasciculo descripsimus.

In promovendis Exercitiis maiorem difficultatem P. Sheahy expertus est, ut ipse in quadam epistola testatur. Sed animo non defecit, et quamquam tum primum, in Statibus Unitis Americae, Consociatio in hunc finem nascebatur, numerantur in praesenti in eis et in Canadensi republica aliae 80 similes, quae 60.000 hominum singulis annis in pium secessum adducunt.

Crescens ipse numerus consociationum et domorum Exercitiis destinatarum, hominum concursum in Mount Manresa aliquantum imminuit, praesertim oeconomicarum angustiarum tempore. Sed novum impulsum tam pium opus accepit, adhibita cura ut quantum fieri posset, homines unius eiusdemque condicionis in unum convenirent. Sic anno superiore cursus fuit unus pro 60 viris medicinam colentibus; duo pro 52 et 56 iurisperitis (in quibus censebantur 3 iudices e tribunali supremo, 2 ex inferioribus); duo pro custodibus publicis (in quibus 5 erant eorum duces Neo-Eboracenses); quatuor pro Equitibus Columbi; complures pro alumnis nostrarum Universitatum; singuli pro Conferentiis Sti. Vincentii, pro Societate « Kolping » operariorum, pro scribis, pro surdastris, etc.

Illud etiam valide exercitantes allicit, quod capsula in loco publico appenditur, in quam illi scripta coniciunt sua dubia exprimentia. Tem-

pore statuto Director Exercitiorum ea resolvit, facultatem auditoribus concedens solutiones discutiendi.

In nonnullis Provinciae civitatibus coetus Promotorum laborant, ad viros conscribendos, qui Exercitiis dent operam. Quorum, unus, Dnus. Ioannes Egan, 30 iam annos hoc munere verbis et exemplo fungitur. Promotores, vel saltem eorum capita semel in anno inter se deliberant. Deliberationi habitae die 10 dec. 1938 praefuit R. P. Assistens Americae, Zachaeus Ios. Maher, qui ante oculos auditorum posuit efficaciam methodi Ignatianae Dei numine ordinatam, et necessitatem operariis suadendi, ut eius salutares effectus experiantur. (Woodstock Letters, febr. 39).

## Nova Domus Exercitiorum in Grand Coteau (Neo-Aurel.)

Excmus. Dnus. Iulius Beniamin Jeanmard, Episcopus Lafayettensis, die 2 oct. 1938 novam Domum Exercitiorum benedictione donavit, B. V. Mariae consecravit, Societati Iesu commisit. Motus Litteris Encyclicis Summi Pontificis Pii PP. XI, iamdudum hoc opus animo versabat; illudque se aggressurum esse promiserat, cum Collegium Sti. Caroli in urbe Grand Coteau centesimum vitae annum commemoravit. Sui grati animi pignus esse volebat, pro opera spirituali, quam Societas illi regioni his centum annis contulerat.

Liberalitas trium Sacerdotum, RR. DD. Doutre, Maultre et Granon, aliorumque benefactorum, Excmo. Domino in opere perficiendo praesto fuit. Habet aedificium plantam quadratam cum lato impluvio centrali (more Americano Missionum antiquarum). Medium tenet locum imago Btae. V. Mariae, e cuius pedibus laetus fons in altum erumpit, umbra roborum protectus. Circa impluvium cubicula sunt, rebus omnibus instructa, quae ipsum Excmum. Episcopum, viros 27 in pia Exercitia incumbentes, et PP. Directores, excipere parata sunt.

Die ad domum inaugurandam designato, supplicatio religiosa in viridario, prope specum B. Virginis Lapurdensis, ordinata est. Pium agmen constituebant pueri exploratores, laici et Sacerdotes quamplurimi, pueri altaris ministri, Patres Fratresque nostri cum R. P. Provinciali

Thoma J. Shields et Rvmo. Episcopo. Qui, cum domui benedixisset, orationem habuit, eam ad maiorem Dei gloriam et in honorem B. V. Mariae dicatam volens; explicans eius finem, et laicos exhortans, ut magna diligentia et studio fructum ex ea capere conarentur. Gaudere se, quod, et suo nomine et plaudente universo Clero dioecesano, eam Societati committere posset, quamdiu in ea dioecesi versaretur, possidendam.

Respondit R. P. Provincialis, suum et totius Prov. Neo-Aurelianensis grati animi sensum patefaciens, atque Excmum. Dominum meritorum participem declarans, eique tria Sacra ab unoquoque Patre suae Provinciae statim celebranda, totidem post eius mortem litanda promittens. (The Southern Jesuit, nov. 38).

## "Legio Iustitiae" in Statibus Unitis Americae

In urbe Cleveland orta est tempore autumno 1938 in domo operariorum « Catholic Worker's Blessed Martin's House » consociatio dicta « Legio Iustitiae », quae finem habet patronos cogere ad obsequendum doctrinae sociali Ecclesiae, in modo agendi cum suis operariis. Tanto bonorum omnium plausu haec consociatio excepta est, ut iam a mari Atlantico ad Pacificum per 48 Reipublicae Status sit diffusa.

Centrum habet in urbe Villanova Status Pennsylvaniae, quo membra omnia chartulas mittunt, spondentes nihil se apud eos patronos empturos esse, qui ei doctrinae obtemperare recusent. Id non modo multa catholicorum milia, sed complures etiam non catholici promiserunt.

Incrementum Legionis promovet P. Wilfridus Lauer (Chicag.), Professor Universitatis « Caroll University », qui in periodico Legionis « Christian Front », cives hortatur, ut suum argentum ita expendant, ut non modo suis commodis provideant, sed simul ordinem socialem tueantur: « Legionem Decentiae », quae multa iam centena milia hominum congregat, eam vim habuisse, ut pellicularum cinematographicarum auctores cogeret, ad leges morales aliquanto melius observandas; « Legionem Iustitiae » eumdem exitum in suo scopo assequendo habituram. Iam Parochi, una cum suis christifidelibus, schedulas conficiunt eorum patronorum, qui Encyclicis Pontificiis parent, ut catholici apud eos potissimum merces acquirant. (L'Oss. Rom., 17 mart. 38).

## ALUMNORUM
## IN COLLEGIIS ET UNIVERSITA
1938-

| COLLEGIA SUPERIORA ET UNIVERSITATES | Artes et Scient. | Sch. noct. et sabb. | Commer. (Busin.) | Odonto-logia | Theologia | Educatio | Ingeniaria |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Boston Coll. U. . . . . . . . | 1.338 | 502 | 73 | — | — | — | — |
| Canisius Coll. . . . . . . . . . | 732 | 299 | — | — | — | — | — |
| Creighton Univ. . . . . . . . . | 301 | 332 | 283 | 70 | — | — | — |
| Detroit Univ. . . . . . . . . . | 656 | 489 | 1.036 | 118 | — | — | 716 |
| Fordham Univ. . . . . . . . . | 1.398 | 381 | 528 | — | — | 1.527 | — |
| Georgetown Univ. . . . . . . . | 675 | — | — | 166 | — | — | — |
| Gonzaga Univ. . . . . . . . . | 867 | — | — | — | — | — | — |
| Holy Cross Coll. . . . . . . . | 1.232 | — | — | — | — | — | — |
| Jhon Carroll Univ. . . . . . . | 574 | 299 | — | — | — | — | — |
| Loyola, Baltimore C. . . . . . | 331 | — | — | — | — | — | — |
| Loyola, Chicago U. . . . . . . | 535 | 1.016 | 537 | 263 | — | — | — |
| Loyola, Los Angeles U. . . . . | 506 | 75 | — | — | — | — | — |
| Loyola, New Orleans U. . . . | 552 | 868 | — | 117 | — | — | — |
| Marquette Univ. . . . . . . . . | 870 | 132 | 751 | 205 | — | — | 509 |
| Regis, Denver C. . . . . . . . | 193 | — | — | — | — | — | — |
| Rokhurst, Kansas C. . . . . . | 214 | — | 336 | — | — | — | — |
| St. Joseph's Philad. C. . . . . | 512 | 710 | — | — | — | — | — |
| St. Louis Univ. . . . . . . . . | 1.187 | 604 | 959 | 199 | 206 | 244 | — |
| St. Peter's, Jersey C. . . . . . | 402 | 281 | — | — | — | — | — |
| San Francisco Univ. . . . . . | 596 | 263 | 119 | — | — | — | — |
| Santa Clara Univ. . . . . . . . | 286 | — | 100 | — | — | — | 97 |
| Seattle Coll. . . . . . . . . . | 513 | 465 | — | — | — | — | — |
| Spring Hill Coll. . . . . . . . | 334 | 246 | — | — | — | — | — |
| Xavier, Cincinnati U. . . . . . | 507 | 724 | — | — | — | — | — |
| *Universitatibus ascripti*: . . . . | 15.311 | 7.686 | 4.722 | 1·198 | 206 | 1.171 | 1.322 |

N. B. - Non continentur in hac tabula scholae aestivae. — In summa totali Univ. Sti. Ludovici numerantur 1.005 Studentes Collegiorum Universitati incorporatorum.

## ISTRIBUTIO
## IBUS ASSISTENTIAE AMERICAE
## 39

| Diplomatia | Schol. graduata | Stud. priv. | Ephemerides. | Ius | Medicina | Musica | Infirmaria | Pharmacia | Opus social | Eloquentia | Summae |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| — | 291 | — | — | 382 | — | — | — | — | 48 | — | 2.634 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1.031 |
| — | 30 | — | 51 | 122 | 251 | — | 203 | 72 | — | — | 1.715 |
| — | 97 | — | — | 141 | — | — | — | — | — | — | 3.253 |
| — | 842 | — | — | 864 | — | — | — | 143 | 460 | — | 6.143 |
| 492 | 69 | — | — | 650 | 338 | — | 88 | — | — | — | 2.478 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 867 |
| — | 5 | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1.237 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 873 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 331 |
| — | 453 | 413 | — | 201 | 474 | — | 510 | — | 91 | — | 4.493 |
| — | — | — | — | 146 | — | — | — | — | — | — | 727 |
| — | — | — | — | 96 | — | 77 | — | 55 | — | — | 1.825 |
| — | 308 | — | 215 | 204 | 405 | — | 332 | — | — | 37 | 3.968 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 193 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 550 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1.222 |
| — | 521 | — | — | 80 | 450 | — | 328 | — | — | — | 4.778 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 683 |
| — | — | — | — | 123 | — | — | — | — | — | — | 1.101 |
| — | — | — | — | 36 | — | — | — | — | — | — | 519 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 978 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 580 |
| — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | — | 1.231 |
| 492 | 2.616 | 413 | 266 | 3.045 | 1.918 | 77 | 1.461 | 270 | 599 | 37 | 43.410 |

Eodem tempore *Scholis altis (High School) adscripti erant*: 14.995

*Summa universa nostrorum alumnorum in Assistentia Americae*: 58.405

## Nova Domus Tertiae Probationis in Prov. Marylandiae-Neo Eboracensi

Patres Tertiani Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis domum Tertiae Probationis nuper erectam apud Auriesville, in Statu Neo Eboracensi tandem occuparunt. Eo ipso loco posita est, in quo Sancti Societatis Martyres Isaac Jogues, Ioannes Lalande et Renatus Goupil pro Christo passi sunt. Immo insolita pulchritudine collem coronat, « Montem Orationis » dictum, quia in eum Stus. Isaac Jogues conscendere solebat, quo facilius in silvarum solitudine abditus Deo vacaret.

Planta domus formam refert crucis latinae, cuius brachium ceteris longius PP. Tertiani inhabitant. Trium aliorum unum PP. Veterani occupant, alterum sacellum et triclinium tenent, tertium Sacerdotibus saecularibus longiorem cursum Exercitiorum spiritualium peragere cupientibus reservatur. Cubicula FF. Coadiutorum et infirmorum quartam contignationem complent, quae centrum aedificii occupat, neque in alas protenditur. Sacellum duarum contignationum altitudinem habet. Hinc atque inde altaria possidet, ita ut septemdecim Patres Missam simul celebrare possint. In altari principi imago lignea Christi Crucifixi colitur, quinque pedes alta, insignibus octo Martyrum Canadensium circumdata et tentoriolo protecta cum inscriptione « Domina Martyrum », cui tota domus dicata est.

Ala Clero dioecesano reservata unum et viginti cubicula cum omnibus necessariis continet, ubi Sacerdotes, plane a Nostris separati, Exercitia convenienter peragere possint. Reliqua domus in septuaginta duo cubicula dispertita est, in quibus quadraginta quinque Tertiani, Patres Veterani, FF. Coadiutores, Pater curam habens templi SS. Martyrum et P. Director Exercitiorum pro Clero saeculari sedem habent.

Ordinarius loci, cum benedictionem novae domui esset impertitus, orationem habuit, qua opera in ea perficienda praesertim Exercitia Sacerdotum saecularium et cultum SS. Martyrum multum laudavit.

## ASSISTENTIA SLAVICA

### Triduani cultus Sti. Andreae Bobola Dubno, in Polonia, celebrati

In omnibus quidem Provinciis Societatis celebratae sunt triduanae caerimoniae in honorem Sti. Martyris Andreae Bobola; cum autem omnes commemorare non vacet, liceat saltem eas referre, quibus Seminarium Orientale Dubnense, a die 10 ad 12 martii, novum Sanctum honestavit. Eas scitu dignas effecit participatio civium omnis conditionis et omnium rituum.

Cum Patres illius Seminarii huius celebrationis consilium iniissent, ad principes civitatis venerunt, ut coetum ad rem ordinandam ex eis constituerent. Parochus, Praefectus regionis, Tribunus militaris, ceteri, illud magno plausu probarunt et pro viribus adiuverunt. Nec Magistratuum fervori ac pietati alacritas defuit populi. Primo die pia caerimonia in paroecia ritus latini initium habuit; altero in templo Sanctimonialium et in sacello militari evoluta est; tertio illam complevit Seminarium nostrum orientale, ea magnificentia et ornatu, quem eius generosa paupertas patiebatur. Civitas universa, stipato agmine, in templa properavit, ut sacram reliquiam veneraretur.

In pompa finali, viae omnes, per quas illa ducebatur, vexillis et auleis et imaginibus Sti. Martyris erant exornatae; milites eorumque duces instructis ordinibus pompae praeibant, vel vias, quibus incedebat, honoris causa custodiebant. Supplicationi cruces duae, latina et orientalis, anteibant; clerici et ipsi parvi altaris ministri utriusque ritus, suis paramentis induti, sacram Reliquiam comitabantur. Sacerdotum exemplum sequebatur populus, ita ut latini et orientales fraterna irent caritate coniuncti. Quin immo vel ipsi schismatici, silentes ac timidi, ad Sanctum accedebant, eumque peculiaribus suis corporis inclinationibus aliisque pietatis signis venerabantur. Nec iudaei, qui

multum in civitate abundant, in communi civium laetitia et veneratione defuerunt.

Ultimo die scenae dramaticae de martyrio novi Sancti exhibitae sunt. Sed iterum ac tertio agendae fuerunt, ut cives omnes et milites earum spectatores esse possent. Cum finitis caerimoniis, Coetus earum ordinator in Seminarium convenisset, ut familiarem potiunculam sumeret, omnibus in confesso fuit, vincula caritatis latinos inter et orientales multo strictiora tribus illis diebus facta esse. (E litt. P. Iacobi Morillo, Rect. Semin.).

## Domus Academicorum in Polonia Minore

Ut in aliis Societatis Provinciis, sic etiam in Polonia Minore florent domus duae, iuvenibus universitariis excipiendis destinatae: Cracoviae et Leopoli. Ambae originem et vitam acceptam referunt Congregationi Marianae, ideo Leopolitana hoc etiam nomine « Marianum » gloriatur. Utraque domus subest coetui Sodalium, qui eam administrant, utrique praeest Pater Director Congregationis, P. Moskała Cracoviensi, P. Mirek Leopolitanae. Illa 48 Sodales convictores, haec 25 hospitio excipit. Sed multo plures in eas conveniunt, tum cibos capiendi (200 et 70), tum studendi et sermocinandi causa. Possident in hunc finem suam bibliothecam et aulam recreationis. Sodales ita in omnibus se gerunt, ut in Universitate et in aliis consociationibus catholicis optimam sui opinionem faciant. (E litt. P. Zukowicz, Soc. Prov.).

## Conventus PP. Spiritualium in Seminariis Clericorum

**In nostro Collegio Velehradii (Bohemiae),** diebus 12-14 aprilis 1939 convenerunt Moderatores spiritus seminariorum maiorum Bohemiae et Moraviae, ut de variis quaestionibus circa educationem et spiritualem directionem futurorum sacerdotum amice conferrent. Invitati erant etiam PP. Spirituales e Slovakia, sed ob condiciones difficiles solus Bratislavensis potuit interesse. Patres nostri aderant tres, inter quos P. Spiritualis e Collegio Nepomuceno Romano, illis regionibus destinato.

Quaestiones, de quibus disputarunt, hae fere fuerunt:

1. Qualem functionem habeat Director spiritus in Seminario clericorum.

2. De secreto servando circa directionem spiritualem alumnorum.

3. Consultationes asceticae alumnorum apud P. Spiritualem, earum finis et praxis.

4. Confessio et confessarii alumnorum juxta codicem Iuris Canonici.

5. Examen particulare, ut medium efficax ad solidam et systematicam directionem.

6. Quomodo Director spiritus clericos instruere, exercere et promovere debeat in oratione mentali, quae tanti momenti est in vita sacerdotali.

7. Quibus clericis et quando dari debeat a P. Spirituali consilium abeundi, et quomodo hac in re procedendum sit, quin secretum ullo modo laedatur.

8. Quid Directores spirituales facere debeant, ne alumni variis excessibus abripiantur et studium solidae asceseos negligant, dum recentes doctrinas in litteratura religiosa et novas praxes in vita spirituali orientes audiunt.

9. Educatio liturgica alumnorum, ne solas rubricas sciant et servent, sed etiam veram devotionem liturgicam sibi comparent.

10. Communi conspiratione componendus fuit elenchus librorum selectorum, non solum pro lectione spirituali et meditatione alumnorum, sed etiam ad profundiorem eruditionem ipsorum PP. Spiritualium.

P. Aloisius Stork, Praefectus spiritus in Pont. Coll. Nepomuceno huius almae Urbis, totum hunc conventum paravit, eiusque descriptionem texuit, pro qua Redactor Memorabilium gratias agit maximas.

# ASSISTENTIA AMERICAE LATINAE

## Conspectus operum socialium in Viceprovincia Chilensi

Viceprov. Chilensis, in suo folio periodico pro benefactoribus (aug. 38), pulchrum commentarium edidit, de operibus, quibus ipsa indigentibus et opificibus subvenit, ex quo nonnulla depromere iuvat.

Iuvenes suos, secundum Societatis leges, ita informat, ut iam a Tirocinio amore pauperum accendantur: pauperibus serviunt per integrum mensem in nosocomiis; ut pauperes vivunt in peregrinatione; cibum spiritualem eis distribuunt cotidie, priusquam cibum corporeum suppeditant; eos ita revereri discunt, ut saepe eorum pedes osculentur; miserrimos vicos diebus festis adeunt, ut rudimenta catechismi doceant. Non mirum est eos postea per totam vitam studium pauperum animo insitum habere.

In urbe Sti. Iacobi floret 20 iam abhinc annis Institutum nocturnum Sti. Ignatii, quod dirigunt eius fundator, P. Correa, et P. Ramírez, frequentant opifices 387, magnoque amore antiqui alumni prosequuntur. — In urbe Valle Paradisi (Valparaiso) P. Alarcón dirigit scholam « Pedro Valdivia » cum 600 alumnis. Alumni antiqui centrum sociale constituunt sub directione Patris Waugh. — In Conceptione P. Trujillo scholam ante terrae motum dirigebat pro pueris 400. — In Puerto Montt, Octai, Calera del Tango similes scholae habentur. Generatim numerus alumnorum scholas gratuitas frequentantium duplo maior est quam numerus minervalia pensitantium.

P. Galcerán opus dirigit primae Communionis puerorum educatione christiana carentium (Mem. VI. 492). P. Martí christianam religionem docendam curat in scholis publicis, ubi nulla talis institutio daretur. Prope Sanctum Iacobum (Santiago) P. Correa in oppido Velázquez, P. Echániz in oppido Buzeta, ubi saxorum grandine initio salutati sunt,

parva templa exstruxerunt, ubi fideles in pias sodalitates conveniunt et doctrinam christianam libenter audiunt. — P. Falgueras instituit sodalitatem feminarum, « Apostolatum Popularem » dictam, quae 14 annorum spatio 774 missiones rurales promovit, 18.460 matrimonia composuit, animas 5.102 sacro baptismate abluit, 19.377 ad primam communionem paravit, 309.662 pane angelorum refecit. — P. Fernández Pradel, scriptis libris et circulis studiorum, encyclicas Pontificum illustrat et opifices ferroviarios Christo lucrari conatur. – P. Román similem operam impertit in opifices agrarios. — Multi alii Patres, Bahí, Ripoll, Vicuña, Montalva, Delpiano, Waugh, opificum, famularum, piscatorum consociationes aut Exercitia dirigunt. — P. Restrepo in oppido Velázquez clinicam exstruendam curavit ducentis milibus aureorum, ubi 12 medici et 60 nobiliores feminae et puellae, plus mille aegrotis singulis mensibus gratis subveniunt. — Simili modo PP. Hurtado et Echániz succurrunt oppido Buzeta, ubi etiam polyclinicam et scholam puellarum, ad optimas matres familias informandas condiderunt.

In nostris Collegiis cibus pauperibus singulis diebus distribuitur, qui quandoque plures centum numerantur. Ille vero labor fit optimus pro pauperibus in Collegiis, quod alumni et verbo et opere ita educantur, ut officiis caritatis et iustitiae in pauperes et opifices rite fungantur.

Gratus animus pauperum tantae illi caritati respondet. Cum Superiores auxilium amicorum petiissent, ad novam Noviciatus domum construendam, vel ipsae pauperum familiae opem supra vires ferre conatae sunt. Famula domestica cuiusdam familiae septem aureos attulit; alia moriens 300 aureos reliquit; vidua victum sibi et septem filiis suo labore quaeritans, mittit singulis mensibus parvam eleemosynam, Deum simul rogans ut aliquos filiorum suorum in sacerdotium vel in statum religiosum vocet. (Nunt. Vicepr. Chilensis, aug. 38).

## Eleemosynae collectae pro Missionibus in Prov. Brasiliae Centralis

| Anno | Aureorum | Anno | Aureorum |
|---|---|---|---|
| 1931 | 293 § 500 | 1935 | 45.607 § 900 |
| 1932 | 2.200 § 900 | 1936 | 90.022 § 500 |
| 1933 | 10.457 § 200 | 1937 | 139.078 § 900 |
| 1934 | 19.857 § 100 | 1938 | 199.837 § 700 |

Summa universa: 507.445 § 700 Aurei Brasilienses

Eorum 239.042 § 200 a Collegio Sti. Ignatii, 215.732 § 100 a Collegio Sti. Aloisii collecta sunt. (Nunt. Bras. Centr., mart. 1939).

## Excmus. Episcopus Ancudiensis gratum in Societatem animum testatur

Cedens Societas enixis precibus venerabilis Episcopi Ancudiensis, Excmi. Dni. Angeli Jara, susceperat anno 1900 directionem eius Seminarii maioris, quod non sine magno sacrificio facere poterat, propter exiguum numerum Patrum nostrorum tunc in Chile commorantium. Cum anno 1938 decrevisset Sancta Sedes, ut eius seminaristae maiores Conceptionem, in Seminarium regionale venirent, iudicavit Societas parvum Seminarium Ancudiense in manibus Excmi. Episcopi, Raimundi Munita, relinquendum esse, Patres autem aliis ministeriis urgentioribus esse applicandos. Hac occasione scripsit Excmus. Dnus. ad R. P. Provincialem Chilensem Petrum Alvarado, sequentes litteras, grato animo insignes, quas libenter vobiscum communicamus.

Ancud, 15 ian. 1939.

Revme. P. Vice-Provincialis,

Cum frustra conatus sim, ne RR. PP. Iesuitae directionem mei Seminarii Conciliarii unquam desererent, cumque viderim R. P. Rectorem aliaque membra Communitatis abire; non possum quin rursus R.ae V.ae magnum dolorem ostendam, quo hac de causa afficitur meus animus, utpote pastoris huius gregis, quem Deus inscrutabili sua providentia mihi committere voluit.

Sed in media mea desolatione, qui possum gratias non agere, primum quidem Deo Domino Nostro, auctori omnis doni perfecti, tum Superioribus Societatis et omnibus ac singulis RR. Patribus et Fratribus Iesuitis, pro cumulo beneficiorum, quae, Clero informando, generationibus variis suo consilio iuvandis, multis meorum filiorum in vita spirituali promovendis, his quadraginta annis Dioecesi nostrae attulerunt? Enimvero, R. Pater, pulchrum caput historiae ecclesiasticae Chiloënsis hodie finitur, cuius paginas intellegere non poterit quisquis illustrem Societatis Iesu operam ignorare voluerit.

Spero fructum huius laboris non periturum. Semen a vobis in hac parte magni praedii Patrisfamilias tanta abnegatione in sulcis depositum, et optimi fructus generati sacrificio dignissimorum religiosorum, qui thesauros virtutis et scientiae christianae apud nod plenis manibus effuderunt, stimulo nobis erunt, qui semper nos ad studendum impellet, et ad lectiones eximiorum magistrorum tempore futuro imitandas.

Quidni autem humanitatem a V. R. nobis exhibitam commemorem et grato animo prosequar, dum nobis aliquot sui Ordinis Socios concessit, qui Seminario praeesse pergerent, donec novum eius ordinem sta-

biliremus? Immo vero haec beneficia pretioso munere cumulare voluit, nobis Encyclopaediam « Espasa » largiendo, opus magnificum, quod tanquam exquisitum monumentum vestrae generositatis et vestrae in Seminario commorationis servabimus. Quidquid pro mea Dioecesi, proque meis caris filiis fecistis, Deus vobis, ut Ipse solet, larga manu remuneretur.

Una cum hoc grati animi testimonio Episcopi, qui Deum pro personali felicitate R.ae V.ae et RR. Patrum ac Fratrum Iesuitarum precatur, accipite etiam pastoralem benedictionem, quam intimo ex animo vobis in Domino impertitur

† Raimundus Munita Eyzaguirre
*Episc. S. Caroli Ancudiensis.*

## Heterodoxi Catholicam fidem amplectuntur in urbe Sancto Paulo, Brasiliae

E litteris P. Iosephi Danti, Coll. S. Aloisii Paulopolitani, sequentia excerpimus. Cum Pater Congressui paedagogico regionali interfuisset, vir quidam russus, orthodoxus, ingeniarius in magnis Status molitionibus occupatus, ad eum venit, ut quaedam de schismate sciscitaretur. Cito attulit uxorem et filiam, ut Patris lectiones de religione audirent, omnesque tandem in nostro Sacello fidem catholicam professi sunt.

Hi novi et ferventes catholici alios suos cives Sanctum Paulum incolentes de sua professione catholica certiores fecerunt. Quorum unus Sacerdos orthodoxus e Sti. Basilii religiosa familia, qui multos a bolcevistis corporis cruciatus perpessus erat, Patrem Rectorem etiam adiit, et post duos annos instructionis et haesitationis, Romani Pontificis auctoritati se subiecit.

Lutheranus quidam, natione Germanus, in Brasiliam migraverat cum uxore hebraea duobusque filiis. Hic, religionis catholicae splendore illustratus, filios suos in ea baptizari voluit. Postea vero, sentiens se non posse filios bene educare, nisi unam eamdemque cum eis religionem teneret, falsae religioni cum sua uxore nuntium remisit. Nunc hebraeum alium catechumenum habet Pater, Summo Pontifici addictissimum propter eius in suam gentem humanitatem. Multi praeterea Russi Collegium frequentant, qui bona fide adhuc schismati adhaerent, sed facile, Dei cooperante gratia, illud repudiabunt. (Nuntii Bras. Cent. aug. 38).

## Universitas autonoma Guadalaxarensis

Erat in hac urbe schola socialistica bene rebus ad docendum munita. Anno 1935 antiqui alumni Collegii nostri secundarii consilium ceperunt Universitatem Autonomam Guadalaxarensem condendi, non a Gubernio Socialistico sed ab Universitate Nationali Mexicana dependentem. - Professores adsciti sunt religione et scientia praestantes, etsi omnes laici, Gubernium enim Universitatem toleraturus erat, modo Sacerdotes ac praesertim Iesuitae nullam in ea auctoritatem haberent. Libri accurate eliguntur (maxime Philosophiae et Sociologiae), ita ut sint doctrinae Sanctae Sedis et Praelatorum consoni. Studentes invitantur ad lectiones Apologeticae audiendas in aliquo templo; ad Sacramenta frequentanda saltem semel in mense; ad Exercitia peragenda semel in anno, (quod faciunt 99%). Coetus quidam militantium fiet, qui, magis accurate exculti, ceteros facile permoveant.

Ipsi iuvenes dirigunt et administrant proprium studentium Centrum, cuius Assistens Ecclesiasticus omnium animos fiducia et amore sibi devinxit. Domus duas partes habet: una bibliothecam continet, et aulam ad scientificas disputationes et ad circulos studiorum habendos. Bibliothecae usus Sociis est gratuitus. Abundat libris omnium Facultatum (medicinae, ingeniariae, sociologiae, etc.) et libris ad scholam parandam necessariis, quibus utantur pauperiores studentes. Libri recreativi (fabulae romanenses, etc.) forte non habentur 1%. Altera pars domus gymnasium continet (optimum civitatis), balnea, ludos, etc. Aditus in eam sociis patet solutis 5 vel 10 centesimis.

Centrum instituit circulos Philosophiae, Sociologiae, Eloquentiae, Deontologiae Medicae; paratur cursus methodicus Philosophiae Scholasticae, quam iuvenes volunt a NN. exponi. Communismi impugnandi ratio accurate docetur.

Ad infringendam vim scholae socialisticae, quam multi adolescentes frequentabant, quia pensionem in aliis Collegiis solvere non poterant, ipsa Universitas Scholam Secundariam gratuitam sibi subiectam condidit, in qua libri ceteraque necessaria gratis etiam traduntur.

Haec omnia fieri nequeunt, sine magnis sumptibus, ad quos sustinendos, caritas Excmi. Archiepiscopi et aliorum Catholicorum multum

iuvat. Ne illa quidem sufficeret, nisi magna pars Professorum gratis suo munere fungeretur, et nisi divina Providentia mirabili modo praesto esset. Maxime cum sit contendendum cum Socialistis, qui rebus omnibus abundant, et Universitatem autonomam calumniis obruere conantur, a quibus adhuc eam Dominus liberavit. (E litt. priv.).

## Institutum Chimicum Guadalaxarae in Mexico

Dum antiqui alumni Universitatem in hac urbe condebant, ex ipsis alumnis Collegii prodibat Institutum Chimicum. Initium illi dedit P. Aloisius Verea ante duos annos, cum hanc disciplinam doceret in Collegio. Quos vidit alumnos maiore in eam studio ferri, eis finito curriculo, novas lectiones et exercitationes proposuit, tanto omnium gaudio et nisu, ut post varias sedis mutationes, domum ampliorem et independentem omnibus instrumentis bene instructam quaerere debuerit. Alumni numerabantur 44 anno 1937. Studia quae hic fiunt quattuor annis absolvuntur: primo docentur Chimia generalis et Synthesis industrialis inorganica; altero Analysis inorganica qualitativa et quantitativa; tertio Synthesis industrialis organica et Analysis organica; in quarto fit cursus specialis industriae quam quisque elegerit cum propria eius Analysi et Synthesi. — Habentur praeterea disciplinae complementariae matheseos, physicae, linguarum anglicae, gallicae, germanicae, artis graphicae et exercitatio practica in aliqua officina aut laboratorio industriali.

Formatio moralis et religiosa non negligitur. Discipuli bis in hebdomada lectiones audiunt de apologetica et de moribus; bis etiam a P. Spirituali visitantur, quocum libenter agunt; tempore Quadragesimae superioris anni Exercitia peregerunt, 14 quidem in perfectu secessu, ceteri in communi. — Ii qui exercitationis causa in officinis admittuntur, honorifica testimonia ab eorum moderatoribus obtinent. Alii, qui, studiis finitis, domum redeunt, plurimum expetuntur. Nonnulli docent in ipso Instituto, vel invitati sunt ad docendum in Universitate autonoma.

## Exercitia spiritualia pro Hispano-Americanis in Belgio

Quod coepit fieri quinque abhinc annis, ut Exercitia Studentibus Hispano-Americanis in Belgio proponerentur, accidit

etiam hoc anno. Directoribus superiorum annorum, Patribus Ramírez, Hurtado, Castiello, Saravia, Francisco González (e Prov. Argentino-Chilensi, Colombiana, Mexicana), successit hoc anno P. Henricus Torroella (Mexic.), tertiam Probationem agens in domo Trunciniensi. Missus est magni ieiunii tempore Leodium et Bruxellas, ut iuvenes invitaret. Eorum 35 responderunt: 15 Hispani, 4 Colombiani, 4 Cubani, 4 Venezolani, 3 Mexicani, 3 Peruviani, 1 Argentinus, 1 Lusitanus, ex universitatibus Bruxellensi et Lovaniensi et ex Instituto « Gramme » Leodiensi. Ex Instituto Antwerpiensi, ubi degunt 7 Hispano-Americani, nemo accedere potuit examinum causa. - Quater in die meditationi dabant operam, silentium accurate servarunt, cantores optime cecinerunt. Ad fructum conservandum, Sodalitatis Marianae Lovanii et Leodii erigendae consilium volvitur.

# NECROLOGIA

## P. Carolus Décès (Campaniae)

Die 1 febr. 1939 supremum diem obiit in Missione Betsileensi P. Carolus Décès, « Pater leprosorum » dictus. Natus in urbe Rhemis e patre medico anno 1866, operam ipse dedit etiam medicinae, donec Doctoris lauream Parisiis obtinuit. Cum totum studiorum tempus ita vixisset, ut pietatem et fidem et christianam amicitiam prae se ferret, anno 1893 Societati nomen dedit, 1901 Sacerdotio initiatus est, 1902 in Madecassiam venit, Missioni Betsileensi adscriptus.

Ministeriis sacris et administrationi Missionis, curam aegrotantium adiungebat, tanta caritate, ut cito « Bonus Pater Doctor » ab omnibus appellaretur. Sed quamquam eius animus a suo in Missionem adventum in leprosorum curam ferebatur, hoc suum pium desiderium continere debuit, tum maxime, cum mundialis belli causa, in Galliam est revocatus. Dies tandem effulsit, quo sui voti compos factus est. Quo anno ille in Missionem appulerat, eo ipso illam attigerat P. Beyzym, magnus leprosorum apostolus. Sed hic Pater iam ante belli initium e vivis sublatus erat. In eius igitur locum venit P. Décès anno 1921.

Inter caros suos aegrotos vitam degebat, non modo ut Superior, sed ut medicus animorum et corporum, paratus semper illis assistere die noctuque, ita ut sermone madecassiensi diceretur leprosorum « Pater et mater ». Magno labori et sacrificio in hoc munere requisitis, iungebat ille eximiam pietatem et animi demissionem. Quamquam eius natura, institutio et mores, quos ab infantia ebiberat, non poterant quin ei difficillimum redderent conspectum, odorem, curam teterrimarum plagarum, numquam vel minimam de hac re querelam effudit. Pietas et gratus animus aegrotantium huic tantae caritati respondit. E 147 aegrotis, quos nosocomium continebat, circiter 125 Sacra Eucharistia cotidie reficiebantur, eam interdiu saepissime visitabant, eius lampadem suis parvis opibus alebant.

Dum his boni Samaritani muneribus erat occupatus, repentina cordis turbatio, inter Sororum et leprosorum lacrymas, corporis repagula eius generoso animo patefecit.

## P. Remigius Vilariño Ugarte (Castellanae)

Die 16 apr. 1939 piissimam mortem obiit in urbe Bilbao fecundissimus scriptor et fervens apostolus SS. Cordis Iesu, P. Remigius Vilariño. Natus erat in urbe Guernica (Vizcaya) die 1 oct. 1865, ingressus in Societatem die 14 aug. 1880. Cum anno 1896 sacerdotio esset initiatus, cito anno 1901 munus accepit libellum menstruum « Nuntium SS. Cordis Iesu » dirigendi. Tanta fuit statim eius vis in debellandis vitiis et erroribus, in regno et in amore SS. Cordis propagando; ut paginae unius periodici non possent eam continere. Cum anno 1930 suum 50m. religiosae vitae annum complevit, scripta eius omnia in unum collecta A. R. Patri Nostro exhibita sunt, notis numericis appositis, quarum nonnullas subicimus.

| *Annis* | *Edere coepit periodica* | *Quorum anno 1930* |
|---|---|---|
| 1901 | Nuntium SS. Cordis (Mensajero) | scripserat 11.274 paginas |
| 1905 | « Solis Radios » (Rayos de Sol) | ediderat 36.000.000 |
| 1911 | « Faceta et Seria » (De broma y de veras) | subnotatores 21.000 habebat |
| 1912 | « Sal Terrae » (pro Sacerdotibus) | scripserat 3.000 paginas |
| 1924 | « Hosanna » (pro Cruciatis Euchar.) | subnotatores 10.000 habebat |

| *Interea plurimos libros ediderat* | *Exemplaribus* |
|---|---|
| « Caminos de Vida » (Itenera vitae), 7 vol. | 9.000 |
| « Intenciones del Apostolado », 5 vol. | 25.000 |
| « Puntos de Catecismo », 3 vol. | 16.000 |
| « Curiosidades », 4 vol. | 19.000 |
| « Telefonemas » (Difficultatum solutiones) | 17.000 |
| « Vida de N. S. Jesucristo », 5 editiones | 68.000 |
| « Historia de la Sda. Pasión » | 29.000 |
| « Cuentos de Fillín » | 22.000 |
| « Radiocuentos » | 10.000 |
| « Cartas de Otro Mundo » | 24.000 |
| « Devocionario completo », 6 editiones | 58.980 |
| « Devocionario popular » | 3.000.000 |
| Alios libellos | 4.000.000 |

Haec anno 1930 edita fuerant. Fingite nunc animo ea quae aliis 9 annis indefessi laboris ad illa contulit. Anno 1935 initium

dedit periodico « Hechos y Dichos » (Facta Dictaque), collectioni scilicet documentorum et factorum, quae ad religionem tuendam utilia videbantur. Erant scripta Patris Vilariño opportuna semper, ideoque tam late diffundebantur. Speculator, novis morbis et hostibus semper invigilans, novas medicinas et arma subito illis opponebat. – Erant clara et fortia, ita ut eius sinceritatem stupesceres, etiam in rebus et temporibus maxime difficilibus. — Erant prudentiae et amoenitatis sale condita, ita ut fere omnia legerentur suavissime, et numquam in scopulos impingerent.

Neque in hanc unam scribendi aciem Patrem Vilariño descendisse putaveritis. Magnam enim temporis partem in alia ministeria impendebat, neque ullam hominum classem neglegebat. Vix Bilbaum venerat Nuntio SS. Cordis praepositus, amicos movere coepit, ut pro pauperibus familiis novum suburbium a « Cruce » dictum, cum templo, scholis, omnibusque necessariis conderent. Miseros leprosos, a P. Carolo Ferrís ad « Fontilles » congregatos et sollicite curatos, tam caros habebat P. Vilariño, ut singulis annis ad eos veniret et aliquot dies cum eis versaretur, munera et gaudium copiose diffundens, et innumeras virtutis et amoris notas leprosorum collegens; quas ipse statim, litteris « Ab alio Mundo » dictis, Hispanis omnibus notas faciebat, multosque movebat ad caritatem in eos copiose exercendam.

Pueros amabat, eorum cogitata et sensus miro modo referre et tangere noverat, tum in libello periodico « Hosanna », tum in festivis narrationibus, quas in eorum utilitatem radio committebat. Simili arte a Deo infusa sciebat cum militibus agere et pro eis scribere; cum Sacerdotibus, religiosis, saecularibus, omnibus.

Dum tam utilibus laboribus distentus erat, bellum communistarum erupit. Ductus ipse in carcerem cum bonis civibus, non cessabat omnibus animos facere et morituris pro Christo assistere. De quo ab inimicis reprehensus, sincero animo respondit, se eamdem eis caritatem exhibiturum esse, si quando ad mortem ipsi ducerentur. — Deinde vix in libertatem vindicatus, non modo ad pristina sua periodica laboresque statim rediit, sed nova suscepit. Breves commentarios de Religione et moribus, sub titulo « Tria temporis puncta de Religione », in ephemeridibus scribere coepit. Qui summo rerum civilium in Hispania Moderatori tam utiles visi sunt, eos a 17 esphemiridibus divulgari praeceperit (1).

(1) Hoc tam praeclarum opus non interiit morte Patris Vilarino, illud enim generose suscepit P. Florentinus Ogara.

Rogatus praeterea a consociatione Patrumfamilias, et ab optimo medico adiutus, librum manualem scripsit, appellatum « Annulum Nuptiarum » et 25 milibus exemplarium multiplicatum, ubi genitores docebat, quo modo familiam animo et corpore sanam instruere et servare deberent.

His tam sanctis operibus intentus erat, cum eum Dominus ad se vocavit. Die Dominica Palmarum bis sanctum Sacrificium intermittere coactus est. Et quamquam ei Superiores sollicita cura suaserunt, ut labori parceret; contineri non potuit quin et caerimonias hebdomadae maioris perageret, et feria VI homines Viam Crucis per urbem meditantes comitaretur, et per horam cum dimidio de septem verbis Servatoris a cruce pendentis contionaretur. Cum feria II Paschatis male iterum se haberet, interrogavit eum Superior, cur non in lecto mansisset. Ad quem ille: — « Propter infinitam, inquit, Missae excellentiam ».

Cito viderunt medici pulmonem sinistrum inflammatione correptum esse. Sperabant autem omnes morbum superatum iri. Sed ecce paulo post eadem illa inflammatio dexterum pulmonem eitam invasit. Rogaverat Pater, ut ubi primum mortis periculum adesset, sanctis Sacramentis muniretur, utque inter sua scripta codicillus quaereretur, in quo olim statuerat, quibus piis lectionibus quibusque precibus ante mortem iuvari vellet. Omnia prout ipse optaverat facta sunt. Vota renovavit, quod faciebat saepe, gratias egit Superioribus, FF. Coadiutoribus, medicis, quibuscum etiam lepide iocatus est. Ceterum parum loquebatur, sed potius intus in animo cum Deo agebat.

Die dominica in Albis, cum Patres paululum ab eo recessissent, ut coenam caperent, venit ad eos F. Infirmarius, nuntians Patrem in extremis versari. Accurrerunt omnes mature satis, ut eius extremum spiritum exciperent, statimque prout ipse in suo codice petierat « Te Deum » recitatum est. Statim eius transitus universae Hispaniae radio nuntiatus est, multaeque doloris significationis affluere coeperunt, imprimis Emmi. Card. Toletani. Ea quidem nocte nemo ad eius cadaver admissus est, nisi Patris consobrinus cum suo filio et tres pauperes viri e suburbio « La Cruz », qui ad sui benefactoris pedes rosarium recitare voluerunt. Sequenti vero die ingens hominum multitudo ad eum accurrere non cessavit: Religiosi, Sacerdotes, divites, pauperes. Multi dicebant: « 20, 30, 40 sunt anni, quibus apud eum confitebar ». Multi eius reliquias petebant, fuitque eius pallium in minimas partes discindendum, ut omnibus satis fieret. Scholam condiderat Pater in loco « Tivoli » dicto, cuius omnes magistri cum delecto puerorum manipulo caro suo benefactori supremum vale dicturi venerant. Ceteri autem pueri retineri nequiverunt,

quin ipsi quoque sua sponte accurrerent et coram eius cadavere preces funderent; ita ut puerorum frequentia nota peculiaris fuerit illius diei. — Funus honestarunt omnes primarii viri ecclesiastici, militares, civiles, familiae religiosae, parochi civitatis, et ingens virorum divitum et pauperum multitudo. Feminae, quibus funus sequi non licebat, illi praetereunti, orantes, adstiterunt.

## P. Iosephus Keating (Angliae)

Die 5 mart. 1939 ad praemium sui laboris vocatus est fortis Christi miles P. Ios. Keating, qui periodicum libellum « The Month » per annos 32 scripsit, per 26 moderatus est. Natus erat in urbe Dundee (Scotiae), die 6 martii 1865, Societati nomen dederat anno 1883, sacris ordinibus initiatus est anno 1899, et postquam annos sex (1901-1907) munus docendi in collegiis gessit, adiutor datus est P. Ioanni Gerard in redigendo « The Month », eique successit anno 1912. Pax Christi in vera iustitia et caritate fundata, et christianum criterium omnibus vitae ordinibus applicandum, praecipui fuerunt scopi, quos in redigendo libello Pater sibi praefixerat.

Sed praeter hunc laborem menstruum libelli dirigendi, alios multos non minoris pretii sibi imposuerat. « Socialis Catholicorum Coetus » (The Catholic Social Guild), « Catholica Veritatis Consociatio » (The Catholic Truth Society), « Catholicus Coetus pro Internationalibus Relationibus » (Catholic Council for Internatiônal Relations) « Societas Westmonasteriensis pro versione Sacrae Scripturae », Patrem habebant membrum et collaboratorem assiduum. Quibus accessit per plurimos annos munus Consiliarii theologici in folio periodico « The Tablet » et Consiliarii technici in aliis Institutis. Eorum testimonia, qui intimiorem cum eo nexum habuerunt, eius praestantiam et virtutes clariore nobis lumine exhibebunt.

Omnes fere qui de illo post eius mortem scripserunt religiosam eius humanitatem et amicitiam laudibus efferunt. Sufficiat unum testimonium pro omnibus. Emmus. Card. Hinsley sic eius mortem deplorat: « Nuntius mortis Patris Keating ad me venit, cum electio et coronatio gloriosi Pii XII cuncta gaudio replebant. In P. Keating amisi ductorem, philosophum, amicum fidelem. . . Animos sibi devinciebat prudentia, sinceritate, opera Saepius ab eo consilium in rebus arduis petii, nec me umquam spes fefellit ».

Eam caritatem factis potius quam verbis demonstrabat. Redactor ephemeridum « The Catholic Herald », qui saepius ad eum venire debebat, ut de rebus theologicis eum consuleret, ait Patrem non modo aegre nunquam tulisse, quod suum laborem abrumperet, sed visum esse potius illam interruptionem exspectasse et desiderasse. — In Conventu Chicagiensi anni 1926, cum protestantici ephemeridum scriptores caerimonias eucharisticas describere frustra tentarent, interpretem habuerunt P. Keating, qui eos libenter adiuvit. — « Multum illi debeo, fatetur quidam Sacerdos, quia tempore maxime procelloso vitae meae, amore suo me sustinuit, et facile conicio quantum alii quoque illi debeant ». — « Cogitare non possum quid de me futurum fuisset, ait alius, nisi in eius cognitionem aliquot abhinc annis venissem, ut me instrueret et in Ecclesiam reciperet ».

**Alii praedicant Patris fortitudinem et constantiam in erroribus comprimendis.** D. Pezzani, postquam Patris amicitiam extulit, affirmat eum ornatum fuisse mansuetudine agni et fortitudine leonis, in rebus minimis tolerantem fuisse, in praestantibus adamanteum, inflexibilem, immutabilem. — D. J. P. Boland, nomine « Societatis pro defendenda Veritate Catholica » (Catholic Truth Society) fidelitatem commemorat, qua eius conventibus omnibus semper aderat, tum menstruis, tum aliis multis, ad quos vocabatur. — P. O'Hea S. I. asserit P. Keating fuisse columnam, quae suum opus, « The Catholic Social Guild », ab initio sustinuit. — Coetus dirigens « Societatem Catholicam pro Internationalibus Relationibus » eum habuit membrum activum eiusque constantiam testatur in ea pace fovenda, quae iustitia et caritate nititur. — Dr. Douglas Newton, nomine « Societatis Sti. Francisci Salesii », affirmat scriptores catholicos plura debere exemplo et exhortationi Patris Keating, quam ipsi putare possint.

Ita perseveravit bonus Pater laborare usque ad ultimos vitae dies. Coeperat quidem vires amittere novem ante menses quam decederet, fueratque in orae meridionalis sanatorium mittendus. Sed etiam hic carum sibi menstruum libellum amore prosequebatur, quippe vel quindecim dies ante suum decessum Commentarios mense martio edendos redegit. Cum paucis ante mortem diebus conaretur infirmarius illi persuadere, ne Missam tanto labore et incommodo celebrare vellet. — « Fili mi, respondit, dum tantopere conaris mihi persuadere ne Missam celebrem, ostendis te eius excellentiam non agnoscere ». — Hoc fuit ultimum Missae sacrificium ab eo celebratum. Postea, cum videretur iam sui conscius non esse, caerimonias Missae imitabatur et labia movebat, tamquam eius orationes recitans. (The Month, apr. 39).

## P. Alphonsus Daignault (Canad. Infer.)

Die 28 dec. 1938 ad aeternam coronam vocatus est, annos 88 agens P. Alphonsus Daignault, miles olim pontificius, postea Superior Missionis Zambesianae. Natus 28 ian. 1850 in Longueil (Canada), anno 1868, vexillis pontificiis (Zuavo) adscriptus est. Hanc vero militiam duos post annos cum Ignatiana commutavit, Romanum Tirocinium ingrediens. Pulsis Roma Noviciis publica rerum turbatione, venit eo ipso anno in urbem tum austriacam Brixen, et anno sequenti iterum in suam patriam.

Studiis confectis in Woodstock et St. Beunos (Angliae), et Tertia Probatione finita, Missionem tum difficillimam Zambesianam petivit (1884). Ibi, postquam per unum annum linguam didicit et corpus novo caelo attemperavit, Superior Inferioris Zambesis, postea, hac regione Lusitanis relicta, reliquae Missionis renuntiatus est. Anno 1892, ut Procurator, multas regiones Americae et Europae lustravit, homines et opes congregans pro sua cara Missione, ubi redux iterum opem efficacem tulit Chishawashae fundandae.

Morbis constrictus est semel et iterum in Angliam venire, donec ibi remansit, ut Procurator Missionis et P. Spiritualis Coll. Stonyhurstensis (1901-1907). Tum in Canada revocatus, Coll. Nostrorum Imm. Conceptionis per tres annos direxit. Reliquum vitae tempus in multis civitatibus Provinciae ministeria exercuit labore semper indefesso. Pietas, mansuetudo, animorum studium splendido fulgore in eo luxerunt. Cum ultimo vitae anno suis dumtaxat orationibus animos iuvare posset, veteranus Summi Pontificis et Christi miles, stipendiis confectis, ad palmam vocatus est. (Nunt. Can. Inf. ian. 39).

# EPHEMERIDES CURIAE

A DIE 15 MART. AD 15 IUN. 1939

*22 mart.* — Legitur in triclinio epistola Summi Pontificis ad Patrem Nostrum die 14 data et ab Emmo. Card. Maglione signata. In ea gratias agit Directori generali Apostolatus Orationis, pro Intentionibus menstruis Illi propositis et pro orationibus tot milium sociorum.

*25 mart.* — Pater noster exhibet Patribus in recreatione exemplar libelli « Scintillae Ignatianae », quo utebatur Summus Pontifex Pius PP. XI. Ut patet ex testimonio Revmi. Dni. Confalonieri, Cubicularii Summi Pontificis, qui libellum Patri Nostro donavit, et e vestigiis crebrae attrectationis, quae libellus ipse prae se fert, multum eo SS. Pater utebatur. De his Pater Noster litteras dedit ad universam Societatem die 25 martii. — Paucis post diebus idem Revmus. Dominus obtulit Patri Nostro Libellum Exercitiorum Sti. Ignatii, qui etiam Summo Pontifici familiaris erat. In eo folium continebatur, in quo ipse SS. Pater describendas curaverat eximias laudes quibus Exercitia a quodam scriptore non catholico extolluntur.

*2 apr.* — Cum crastina die Summus Pontifex 40m. anniversarium commemoraturus sit a primo Sacro a se celebrato, indicit Pater Noster omnibus Patribus Curiae, ut Missam pro Eo celebrent, Fratribus autem, ut Communionem et Missam offerant. Paucis post diebus litterae leguntur Emmi. Card. Secretarii, gratias agentis nomine Pontificis.

*5 apr.* — Pater Noster Patrum et Fratrum orationes postulat, ad avertendum belli periculum. — Magnam caritatem narrat Summi Pontificis erga Societatem, et speciatim erga P. Rectorem libelli periodici « Civiltà Cattolica ».

*9 apr.* — Hodie, in sollemnitate Resurrectionis Domini, Summus Pontifex in Basilica Sti. Petri amplissimo ritu Sacrum celebravit.Postea e podio primario eiusdem templi, benedictionem Urbi et Orbi impertitus est, quam multitudo ingens in foro Sti. Petri, nos in solario Curiae devote accepimus.

*10 apr.* — Curiae aggregatur P. Adulfus Mariotti (Romanae), adhuc Rector et Magister Noviciorum Aricinensis.

*12 apr.* — Ad gratias Deo agendas pro composito bello hispanico contra communistas atheos, hymnus Ambrosianus sollemnissima forma canitur in templo SS. Nominis Iesu. Pater Noster templum illud in hunc finem generose obtulerat. Summus vero Pontifex tantam in catholicos Hispanos amorem ostendit, ut sacram caerimoniam suam quodammodo fecerit. Emmus. enim Card. Secretarius, Aloisius Maglione, sacro ritui praefuit; alii quatuordecim Cardinales Sacra Purpura induti, multique Praelati, Legati, Principes et magna fidelium multitudo praesentes aderant. Etiam Pater Noster cum PP. Assistentibus aliisque non paucis Patribus et Fratribus, tum Curiae, tum aliarum domorum, gratias Deo referre voluit, pro tanto beneficio. (« L'Oss. Rom » 13 apr. 39).

*14 apr.* -- Simulacrum Romae fit eiaculandae urbis machinis aëreis. Aliquot ante dies regulae civibus omnibus datae erant, accurate observandae, cum proximae eiaculationis signum daretur. Superiores curarunt, ut etiam domi nostrae omnes quam fidissime servarentur.

*16 apr.* -- Paternam allocutionem audimus radio transmissam, qua Summus Pontifex Catholicis Hispanis, pro victoria de hostibus religionis et patriae obtenta gratulatus est. (« L'Oss. Rom. 17 apr. 39).

*17 apr.* -- P. Franciscus Segarra (Arag.) paucas horas in Curia versatur, redux ab itinere via aërea in Hispaniam facto, ad examinandas sanationes duas, quae mirabili intercessioni Bti. Pignatelli attribuuntur.

*24 apr.* — Curiam visitat P. Marcellus Renaud, adhuc Viceprovincialis Brasiliae Centralis, nunc Rector Collegii Romani Pii Brasiliensis.

*26 apr.* — In Sollemnitate Sti. Ioseph legitur in triclinio decretum die Resurgentis Domini signatum, quo Missio Proximi Orientis in Vice-Provinciam dependentem a Prov. Lugdunensi erigitur.

*1 maii.* — Hospitem habet Curia Excmum. Dnum. Antonium Schuler S. I. (Neo-Aurel.), Episcopum Elpasensem Statuum Unitorum Americae. — Cum Summus Pontifex christianos omnes hortatus esset, ut per totum mensem maium B. V. Mariam precibus adirent, ad pacem impetrandam; iubet R. P. Vicarius, ut nos quoque publicis supplicationibus, Pontificis mandato obtemperemus. Itaque per totum mensem Litaniis Communitatis brevis et pulcherrima

oratio Patris Roothaan pro pace et invocatio « Memorare » adiunguntur. — Hoc eodem studio motus Summo Pontifici obtemperandi et hominum saluti consulendi, Director Generalis Delegatus Apostolatus Orationis plus 120 epistolas Directoribus Nationalibus aut regionalibus aërea via mittendas curat, ut mandato Summi Pontificis omnes Socii Apostolatus satis faciant.

*8 maii.* — Patres et Fratres omnes Hispani in Vaticanum veniunt, una cum ceteris Hispanis Romae residentibus, ut gratias agant Summo Pontifici, pro oratione nuper habita per undas aethereas.

*11 maii.* — Tribunal ecclesiasticum, quod Gandavi, in Belgio Processum Apostolicum instruit in causa Servi Dei, P. Adulfi Petit, delegat Judices Tribunalis Romani, ut testimonium accipiant Patris Augusti Coemans, qui fractae valetudinis causa domi in Curia se continere debet.

*14-30 maii.* — Excmus. Dnus. A. Ignatius Chichester S. I. (Prov. Angl.) Vicarius Apostolicus Salisburiensis, dum Sacra Limina visitat, apud nos divertit.

*15-17 maii.* — Emmus. Dnus. Card. Boetto, nuper a Summo Pontifice in Coetum Cardinalium allectus pro dirigenda Actione Catholica in Italia, Romae apud nos, huius muneris causa versatur. Hac occasione quaedam de suis pastoralibus ministeriis scitu digna narravit. Directorem Navalium Genuensium hoc anno rogavit, ut sibi liceret eorum operarios ad Communionem paschalem praeparare. Difficultatibus quibusdam superatis et facultate obtenta, praeparationem optimis quibusdam Sacerdotibus commendavit, qua finita, ipse Sacrum facere et Communionem distribuere voluit, in altari ab ipsis opificibus in Navalibus exstructo. Mille fere opifices divinis dapibus refecti sunt, quorum mira fuerunt modestia et devotio in pia caerimonia, gaudium et familiaritas, cum ea finita, Emmum. Cardinalem circumdederunt, ad eius anulum osculandum. Postea litteras ei, grati animi testes, dederunt, quod Iesum in Navalia duxisset, suasque officinas hoc modo sanctiores fecisset. — Similem apostolatum exercuit in Schola quadam navali bellica, in qua opifices instituuntur, difficilioribus laboribus addicti, qui ceteris operariis praesint. Verebatur Director, ne id alumnis displiceret. At vero humanitas Emmi. Cardinalis, non modo omnia facile evicit, sed est consecutus ut fere omnes, circiter 700, libenter accurrerent. Finito Sacro, Cardinalem rogarunt, ut, qua fruebatur apud Directorem auctoritate, vacuum labore diem sibi obtineret. Rogavit Cardinalis. Ad quem director: — « Tanto quidem intercessori nihil negari potest. Immo quo maior de bono opere laetitia sit, non modo

hunc diem concedo, sed omnes pecuniae mulctas aliasque paenas condono ». — Erat autem mulctarum summa 20.000 Libellarum italicarum.

*18 maii.* — Hoc die, Ascensioni Domini commemorandae dicato, Eius Vicarius, Pius PP. XII, in Basilicam Lateranensem se confert, ut sollemnem eius possessionem adeat. Cum iter semipublicum esset facturus, invitati sunt christifideles a Directoribus Actionis Catholicae, ut Ei praetereunti adessent. Multi quidem Patres et Fratres Curiae in Via Conciliationis hora 8 cum ½ constiterunt, magnis et bene compositis hominum ordinibus vallata. Summus Pontifex in automobili aperto vectus, multis aliis praecedentibus et sequentibus, stipatos illos ordines amice percurrit et salutavit. Cum templum SS. Nominis Iesu praetergressurus esset, tota eius ampla gradatio Nostris erat occupata. Praeerat Pater Noster, eumque circumdabant Patres omnes Assistentes, Praepositus Prov. Romanae, multi Patres tum illius domus, tum aliarum in Urbe florentium, et alumni omnes Collegiorum Germanici-Hungarici, Pii L. Americani, Brasiliensis et Maronitae, Hi, cum Summus Pontifex in conspectu fuit, Christo Victori eiusque Vicario suis concentibus acclamarunt. Currus Pontificius lento cursu progressus est, dum Pater Sanctissimus Patri Nostro ceterisque adstantibus benivolentissime salutationem rependebat et benedictionem impertiebat.

*19-21 maii.* — P. Miccinelli, Postulator Generalis, Lyciam (Lecce) venit, ad inchoandum Processum Apostolicum de miraculo, quod Bto. Realino intercedente patratum dicitur . - His tribus diebus in templo SSmi. Nominis Iesu sollemnissime celebratur 950mum. anniversarium conversionis Russorum, opera S. Wlodimiri Regis. Habebantur in eo cotidie Missae Communionis, quae celebratae sunt a Superioribus Generalibus PP. SS. Redemptoris, PP. Praedicatorum et a nostro P. Vicario (vices in hoc etiam agente Patris Nostri); Missae Pontificales, quarum postrema benevola Summi Pontificis concessione, celebrata est ritu byzantino-slavico ad Cathedram Sti. Petri in eius Basilica Vaticana; sub vesperum contiones sacrae, quarum prima prolata est a R. P. Magni, Assistente Italiae; et benedictiones eucharisticae, quas Emmi. Cardinales impertiti sunt. Finis huius tridui, cuius promotores fuerunt Collegium nostrum Russicum et Collegium Ruthenorum, fuit cives omnes catholicos efficaciter movere, ad preces fundendas pro russicae gentis conversione.

*20 maii.* — P. Henricus Simonet, Substitutus pro Assistentia Hispaniae, in Vicum Aequensem per aliquot dies se confert, ad valetudinem recuperandam.

*21 maii.* — Curiae aggregatur P. Albertus Dauchy (Campan.), futurus Substitutus Secretarii pro Assistentia Galliae, loco P. Octavii Philip (Lugd.), in patriam mox diocessuri.

*26 maii.* — P. Otto Faller (Germ. Sup.), Romam venit Superior renuntiatus Domus Scriptorum Curiae vicinae . P. Gabriel Huarte, qui adhuc munus hoc gesserat, Curiae adscribitur, quo suo officio Revisoris Generalis plenius vacare possit.

*29 maii.* — Romae pie hodie decessit in Domino Soror germana Patris Nostri Revma. Mater Maria Ursula Ledóchowska, Fundatrix et Moderatrix Generalis Instituti Sacri Cordis Iesu Agonizantis. Omnes pro illius aeterna requie Preces et Sacrificia offerimus, pro quibus Pater Noster gratias refert.

*1 iunii.* — Convenimus quam plurimi cum omnibus Superioribus ceterarum domorum ad funus Matris defunctae in templum Stae. Mariae Angelorum ad Thermas. Funeri praesidebat Pater Noster cum Emmo. Cardinali Marmaggi, olim Nuntio Apostolico in Polonia. R. P. Vicarius Missam sollemni ritu celebravit, cui, praeter dictos, interfuerunt Episcopi quinque, nonnulli Superiores Generales, Legatus Polonus, integrae Communitates Congregationum institutarum a M. Maria Ursula et ab eius sorore M. Maria Theresia, multique alii viri religiosi et saeculares. Hac occasione accepit Pater Noster doloris significationes Summi Pontificis multorumque egregiorum virorum ordinis ecclesiastici et civilis. -- Hoc eodem die advenit Excmus. Dnus. Xaverius Thoyer (Campaniae) Vicarius Apostolicus Fianarantsoae.

*4 iun.* — In die festo SS. Trinitatis legitur ad mensam Decretum Patris Nostri, die sancto Pentecostes signatum, quo nova Missio Kinghsien a Missione Sienhsiensi Campaniae demandata in Sina seiungitur, et Provinciae Austriae tribuitur. Praefectus Apostolicus et Superior renuntiatur P. Leopoldus Brellinger, qui ab anno 1936 Rector Collegio Max. Zikawiensi praefuerat. - Vicariatus Sienhsiensis habuit in persecutione boxerum plus tribus milibus Martyrum. Post illud tempus adeo crevit christianorum numerus, ut iam ille Vicariatus tres novas propagines fuderit. Ultima est Kienghsiensis, in qua numerantur catholici 30.000, Sacerdotes 25, (quorum 7 saeculares sunt, 3 Iesuitae sinenses), catechistae 100, magistri elementares complures. In antiquo Vicariatu Sienhsiensi remanent catholici 50.000.

*7 iun.* - Gratus hospes apud nos versatur Excmus. Dnus. Petrus Léonard, Episcopus Madurensis.

Complures praeterea gravesque Patres N. P. Generalem hoc tempore viserunt. Sufficiat RR. PP. Provinciales nominare: 1-7 apr. R. P. Mondría (Arag.) — 1-2 apr. et 26-27 maii R. P. Menochio (Taurin.) — 16-20 apr. R. P. Miller (Austr.) — 2-13 maii R. P. Mikus (Slovakiae) — 7-15 maii R. P. Rösch (Germ. Sup.) — 14-15 maii R. P. Gómez Martinho (Tolet.) — 23-27 maii R. P. Wehner (Germ. Orient.).

## Nominationes Superiorum Maiorum

Administrationem susceperunt:

*28 maii 1939.* — R. P. Martinus Urrutia, Praepositus Viceprovinciae Venezolanae (Prov. Castell.).

*4 iun.* — R. P. Leopoldus Brellinger, Superior Regularis novae Missionis Kinghsiensis (Prov. Austriae).

# VITA FUNCTI

A DIE 15 MARTII AD 15 IUNII 1939

## ASSISTENTIA ITALIAE

| | | Anno Aet. | Anno Soc. | Loco |
|---|---|---|---|---|
| *Prov. Romana:* | | | | |
| 13 iun. | P. Oct. Aloisius Pastorini | 56 | 34 | Frascati |
| *Prov. Taurinensis:* | | | | |
| 14 apr. | P. Dominicus Valle | 70 | 54 | Chieri |
| 19 apr. | C. Ioannes Tchang | 27 | 7 | Pengpu |
| *Prov. Veneto-Mediolanensis:* | | | | |
| 23 mart. | C. Philippus Consonni | 77 | 56 | Lonigo |

## ASSISTENTIA GERMANIAE

| | | Anno Aet. | Anno Soc. | Loco |
|---|---|---|---|---|
| *Prov. Austriae:* | | | | |
| 25 mai. | C. Emmanuel Streisel | 70 | 45 | Linz |
| 3 iun. | P. Antonius Jost | 76 | 58 | Innsbruck |
| *Prov. Germaniae Inferioris:* | | | | |
| 29 mai. | P. Ludovicus Kösters | 68 | 47 | Frankfurt |
| *Prov. Germaniae Orientalis:* | | | | |
| 10 apr. | P. Hermannus Baurmann | 57 | 36 | Berlin |
| 7 mai. | P. Paulus Klein | 71 | 48 | Beuthen |
| *Prov. Germaniae Superioris:* | | | | |
| 22 apr. | C. Carolus Geiger | 68 | 39 | Feldkirch |
| 26 apr. | C. Laurentius Walser | 74 | 55 | Pullach |

| | | Anno Aet. | Soc. | Loco |
|---|---|---|---|---|
| 7 iun. | C. Conradus Moosbrugger | 49 | 16 | München |

*Prov. Neerlandica*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 7 apr. | P. Marinus Nijs | 61 | 41 | Maastricht |
| 5 mai. | P. Gangulphus Bloetjes | 86 | 57 | Rotterdam |
| 13 mai. | P. August. Nolthenius de Man | 77 | 56 | Salatiga (Java) |

## Assistentia Galliae

*Prov. Campaniae*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ? mart. | P. Carolus Ming | 85 | 64 | in Miss. Taming. |
| 29 mart. | P. Henricus Cordier | 61 | 42 | La Madeleine lez-Lille |
| 22 apr. | P. Alfonsus Chappotteau | 70 | 49 | Amiens |
| 18 mai. | P. Leo Davrout | 65 | 48 | Lille |
| 23 mai. | P. Isidorus Lemaire | 78 | 55 | Mouvaux |
| 24 mai. | C. Petrus Vanhecke | 75 | 48 | Amiens |
| 1 iun. | P. Rob. Lefebvre-Forestier | 66 | 46 | Bruxelles |

*Prov. Franciae*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 28 apr. | P. Ludovicus Hermand | 67 | 48 | in Miss. Shanghai. |
| 31 mai. | C. Andreas Zeng | 75 | 51 | Shanghai |

*Prov. Lugdunensis*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 8 mai. | Nov. Sch. Nic. Papanicolas | 38 | 2 | Bikfaya |
| 15 iun. | P. Iosephus Ledroit | 60 | 37 | Saint-Etienne |

*Prov. Tolosana*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 3 apr. | P. Ioannes F. Alric | 88 | 68 | Toulouse |
| 9 apr. | P. Iulius Arnaud | 90 | 72 | Mende |
| 22 apr. | P. Iosephus Céré | 64 | 45 | in Vicepr. Maduren. |
| 25 mai. | P. Eduardus Charroin | 55 | 36 | Montpellier |
| 12 iun. | P. Iulianus Martin | 73 | 47 | Limoges |

## Assistentia Hispaniae

*Prov. Aragoniae*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 21 mart. | P. Michaël Saderra Masó | 74 | 57 | Manila |
| 24 mart. | P. Michaël Velilla | 71 | 55 | Zaragoza |

| | | Anno Aet. | Soc. | Loco |
|---|---|---|---|---|
| ? ? | Sch. Benedictus Thos | 56 | 39 | Barcelona |
| 2 apr. | P. Raimundus Mensa | 78 | 48 | Lérida |
| 6 apr. | P. Iosephus Pijoán | 54 | 27 | Lima |
| 7 iun. | P. Aloisius Rodés | 58 | 42 | Biniaraitx (Balear.) |
| ? iun. | P. Ioannes Eizaguirre | 59 | 41 | Valencia |
| ? iun. | P. Aloisius Puiggrós | 88 | 66 | Barcelona |

*Prov. Baetica*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 30 mart. | C. Isidorus Azúa | 81 | 58 | Loulé |

*Prov. Castellana*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 22 mart. | C. Albertus Guerrico | 65 | 47 | Loyola |
| 31 mart. | C. Franciscus Aguirre | 57 | 33 | Loyola |
| 30 mart. | P. Franciscus Aristu | 68 | 37 | Caracas |
| ? apr. | C. Germanus Berecibar | 33 | 16 | Bogotá |
| ? apr. | P. Lucius Mutuberría | 69 | 51 | Santa Agueda |
| 17 apr. | P. Anastasius Larrañaga | 60 | 41 | Loyola |
| 17 apr. | P. Remigius Vilariño | 74 | 59 | Bilbao |

*Prov. Legionensis*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 29 mart. | P. Emmanuel de Benito | 56 | 39 | Valladolid |
| 10 apr. | C. Richardus Ozores | 24 | 8 | Carrión de los Condes |
| 18 mai. | P. Mauricius Cruz | 73 | 58 | Salamanca |

*Prov. Toletana*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ? apr. | P. Trinitas Jiménez | 83 | 68 | Villafranca de los Barros |
| ? ? | P. Ludovic. Bertrán de Lis | 90 | 58 | Valencia |
| ? mai. | P. Ioannes Ant. García | 75 | 58 | Sucre |

## Assistentia Angliae

*Prov. Angliae*:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 24 mart. | C. Henricus Godsell | 63 | 43 | Roehampton |
| 14 apr. | P. Michaël Kenna | 77 | 57 | Rhyl |
| 4 mai. | C. Antonius Puff | 80 | 51 | Chishawasha |
| 11 mai. | P. Franciscus Fleming | 64 | 45 | Stonyhurst |
| 19 mai. | P. Bertram Callan | 61 | 42 | Salisbury |
| 6 iun. | P. Ioannes Darby | 81 | 65 | Georgetown |

| *Vprov. Australiae:* | | *Anno Aet.* | *Soc.* | *Loco* |
|---|---|---|---|---|
| 16 apr. | P. Gulielmus O'Leary | 71 | 53 | Sydney |
| 27 apr. | P. Thomas Fay | 75 | 57 | Sevenhill |

*Prov. Belgica Meridionalis:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 5 apr. | P. Iulius Paulus | 79 | 55 | Darjeeling |
| 16 apr. | P. Paulus Cuylits | 59 | 31 | Kimbongo |
| 30 apr. | Sch. Armandus Dave | 25 | 7 | Léopoldville |
| 9 mai. | P. Leo Philippart | 82 | 64 | Kurseong |
| 6 iun. | Sch. Carolus Cormaux | 78 | 61 | Saint-Trond |
| 15 iun. | P. Alfonsus Koch | 66 | 47 | Liége |

*Prov. Canadae Inferioris:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 31 mart. | C. Philippus Sheehy | 65 | 40 | Québec |
| 4 mai. | C. Radulphus Sauvé | 53 | 32 | Pékin |
| 15 mai. | C. Eduardus Angers | 74 | 56 | Montréal |
| 27 mai. | P. Andreas Douville | 38 | 17 | Montréal |

*Prov. Canadae Superioris:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 13 mart. | C. Ioannes Clancy | 71 | 49 | Guelph |

## ASSISTENTIA AMERICAE

*Prov. Californiae:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 mai. | C. Ioannes Clancy | 66 | 11 | Santa Clara |

*Prov. Chicagiensis:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 19 mart. | C. Daniel Flynn | 83 | 54 | Milford |
| 6 mai. | Sch. Vincentius Sibilia | 25 | 6 | Shembaganur |

*Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 19 mai. | C. Gulielmus Luddy | 75 | 42 | Poughkeepsie |
| 27 mai. | P. Georgius Bull | 50 | 31 | New York |

*Prov. Missouriana:*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 14 iun. | P. Thomas Hughes | 91 | 73 | Roma |

| | | | Anno Aet. | Soc. | Loco |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *Prov. Novae Angliae:* | | | |
| 21 | mart. | P. Aloisius Langguth | 51 | 29 | Boston |
| 2 | apr. | P. Carolus J. Robinson | 53 | 34 | Boston |
| 15 | apr. | P. Carolus Lane | 67 | 48 | Boston |
| 30 | apr. | Sch. Ioannes Cronin | 28 | 10 | Weston |
| 1 | mai. | P. Thomas A. M. Shanahan | 54 | 35 | Boston |
| | | *Prov. Oregoniensis:* | | | |
| 3 | iun. | P. Haroldus A. Reiley | 58 | 36 | Pendleton |

## Assistentia Slavica

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *Prov. Jugoslaviae:* | | | |
| 14 | iun. | P. Michaël Pavelić | 61 | 15 | Zagreb |
| | | *Prov. Poloniae Minoris:* | | | |
| 24 | apr. | P. Michaël Kalman | 76 | 60 | Kraków |
| 19 | mai. | P. Franciscus Gawlikowski | 76 | 58 | Nowy Sacz |

## Assistentia Americae Latinae

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *Prov. Brasiliae Centralis:* | | | |
| ? | mai. | C. Simon Echániz | 62 | 44 | Rio Janeiro |
| | | *Vprov. Chilensis:* | | | |
| ? | ? | Sch. Franciscus Félmer | 47 | 33 | Barcelona |
| 20 | apr. | C. Felicianus Barrera | 79 | 55 | Valparaíso |
| ? | iun. | C. Iacobus Andrés | 55 | 31 | Santiago |
| | | *Prov. Mexicana:* | | | |
| 9 | apr. | 1938 Sch. Georgius Saucedo | 46 | 30 | S. Andrés de Palomar |
| 23 | maii | 1939 P. Paulus Louvet | 74 | 55 | Ysleta |

# INDEX

## MEMORABILIA ANNI 1939

### Aprili-Iunio 1939